

PRAEFATIO

NOBILI VIRO PERQUAM ERVDITO POETAE ET IVRISCONSULTO D. GISLENO BVLTELIO
D. CLYTE, NIEPE, ETG. ANT. MEIERVS S.D.

PM_1 v.1 Haec tua, mi Clitarche, legens, operamque daturus,
2 quam stipulatus eras, territus abstinui.
3 Sic opus ornatum vel non correxerit ullus,
4 dignus Aristarchus vel tibi solus eris.
5 Utere iudicio proprio mentisque vigore,
6 lima quod auctoris, non aliena, dabit.
7 Sublimi ingenio respondet idonea vena,
8 copia respondet rebus et apta phrasis.
9 Nos humiles saeclo vix digna priore locuti,
10 non aspiramus quo tua penna volat.
11 Effeti palmam doctrinae apicemque tenenti
12 cedimus illustrem suspicimusque sonum.
13 Utque aliquid constet nos posse, negotia, morbus,
14 aetas impediunt ipsaque segnities.
15 Post clamosa scholae dictata quiescere Musis
16 non lubet, ut quondam, versa labore quies.
17 Deterior sequitur mox cura domestica, ne sint
18 otia scalpendi poene senile caput.
19 Attamen evolvi librum, bonaque omnia cernens,
20 restituo sera credita scripta, manu.
21 Copia noscendi quod facta voluminis annum
22 paene mihi totum gratia semper erit.
23 Me vero pudor incessit tua scripta legentem,
24 in nos dum studium lucet ubique tuum.
25 Sic resonat passim tibi Mejerus afficiturque
26 non exspectato nomen honore meum.
27 Et quis Mejerus infra homines inglorius omnes,
28 hactenus ignotus Mejerus ore tibi,
29 quem nec, si videas oblatum forte, salutes
30 nec dignere tuis aedibus, ense gravis
31 vel trabea, ceu teque tuoque est ordine dignum.
32 Moribus ut dignum est, arte librisque tuis.
33 Debitor illustri maneo tibi carmine : pro quo
34 gratia par a me nulla redire potest.
35 Sit conjunx tibi salva : nec experiare secundam.

36 Quae bona sit, sero creditur esse bona.
 37 Nepte aviam videas multa, multoque nepote,
 38 nec videatur anus, quam modo, pulchra minus,
 39 en erit ut videam te felicissimus umquam ?
 40 Te pueros, nec non conjugis ora tuae ?
 41 Haecine, Clitarcho si decantata, Loysa,
 42 et Virgo, et mulier, jamque Loysa parens ?
 43 Illa suas modo si laudes intelligat, o quam
 44 laudibus his placeat, fausta Loysa, sibi ?
 45 Donec erunt Musae, dum lingua Latina vigebit,
 46 hoc quoque femineum nobile nomen erit.
 47 O bene et amplexus et gaudia prima locata !
 48 Quae dedit optanti pulchra Loysa viro.
 49 Splendidior nec enim poterat, nec amantior ullus,
 50 cui delibandum se daret ipsa, legi.
 51 Quam sit fortunata, viroque obnoxia, nescit,
 52 perspiciunt docti, secla futura scient ;
 53 vir praeclare, vale ; tuaque haec matura fac omnes
 54 noscant auspiciis publica facta tuis.

IN MISCELLANEA GISLENI BULTELIJ DOMINI DE LA CLYTE, VIRI NATALIBUS
ET ERUDITIONE CLARISSIMI CARMEN PHILIPPI MEIERI ATREBATII.

PM_2 v.1 Carmine Maeonides quondam celebravit Ulysses,
 2 Dulichio gessit qui diadema solo,
 3 quod mores hominum, multas vidisset et urbes,
 4 cum foret Argolico Troja cremata rogo.
 5 Clytius ornari non inferiore meretur
 6 elogio, Clarii gloria rara chori.
 7 Orbis enim quando civilibus aestuat undis
 8 Belgicus et miserae depopulantur opes,
 9 excedit patria ; per Gallica rura vagatus,
 10 Alpini saltus exsuperatque jugum.
 11 Exoptata dein subit altae moenia Romae,
 12 Flandriacis Italas hic ubi junxit opes.
 13 Praeter enim leges, animo quas sedulus hausit,
 14 nunc ut iis Ypras, ut pater ante, regat,
 15 Pierides coluit, numeros et divite vena
 16 fudit et est Latiis fama reperta locis.
 17 Ingenium felix victura poemata produnt,
 18 natum scribendis scilicet esse modis.
 19 Quippe pharetratos Elegis seu cantet amores,
 20 Nasonis ritu carmina lene fluunt.
 21 Sive lyrae docto percurrat pectine chordas
 22 dixeris Alcaicum Pindaricumve melos.
 23 Lesbia dum vivet tenero cantata Catullo,
 24 et Galli donec nota Lycoris erit,
 25 Bultelii cantu facies laudata Loysae
 26 numquam Lethaeis mersa latebit aquis.
 27 Quod sis, esse velis.

FRANCISCUS MOSCHUS GIS. BULTELIO.

PM_3 v.1 E solida carmen mittit tibi rupe Jamotus,

2 nominis ut constet quae ratio Clytiii.
 3 Ingenium mirare hominis linguaeque Pelasgae
 4 delicias confer divitiis Latiae :
 5 praestantem cernes sermone in utroque Jamotum,
 6 candida conciliat quem tua Musa tibi.
 7 Ecquem non rapiat promptae facundia linguae
 8 et nivei mores et proba mens Clytiii ?
 9 Paucos invenias qui nobilitate cluentes
 10 stirpis, doctrinae scandere ament apicem,
 11 paucos conubii qui adstricti lege Camenas
 12 esse sibi curent perpetuas comites,
 13 hoc tu Jamoto, Hojo, Moscho nomine carus,
 14 hic tibi partus amor dotibus ingenii.
 15 Tu paria eximio facies in amore, vicemque
 16 reddere (sincerae mentis opus) satages.
 17 Scribere si adlubeat Jamoto Hojoque Poetis,
 18 scripta Bethunaeos faxo adeant scopulos.
 19 Vive, vale et Clytius patriam defende, Linusque
 20 a foeda Musas adserere barbarie.

MISCELLANEA

GISLENI BVLTELIIS MISCELLANEORVM LIBER PRIMVS

AD LIBRVM

M1_1 v.1 Omnibus ingenitum est Natura vivere velle
 2 quamque licet sero succubuisse neci.
 3 Nec memini quemquam me sic vidisse relictum
 4 a cunctis sortis corporeisque bonis,
 5 qui cuperet vitae finem metamque malorum
 6 optaret mortem ex pectore et ex animo.
 7 Quondam forte senex confectus membra labore
 8 cum pretio exiguo non leve ferret onus
 9 pauperiemque etiam, vitae pertaesus acerbae
 10 dicitur haec querulo verba dedisse sono :
 11 (ante tamen molli diffusus corpus in herba,
 12 cum procul ingratum deposuisset onus)
 13 nam quid ego vivo, telluris inutile pondus,
 14 mors ades et vitae fila resolve meae.

15 Mors ades, exoptata aderis miseroque senique,
16 ac inopi ; Mors, es grata futura, veni.
17 Audiit orantem Mors non ingrata, viroque
18 a laeva assistens arripiensque senem,
19 terribilis vultu, vacuos sine lumine porgens
20 orbis, horrenda spicula dira manu,
21 quid placet, o bone, ait. Cur me bis, terve vocasti ?
22 Obsequar imperio, praecipe, prompta tuo.
23 Ille timet nimioque metu vix verba resumpsit,
24 et simul ac Mortem vidit adesse truce[m],
25 paenitet optati et Mortem conversus ad ipsam,
26 hoc te onus his humeris imposuisse, velim,
27 inquit, ut ipsa vides, lapsum est, attollere solus
28 et nequeo et non est, qui ferat auxilium.
29 Ergo homini insevit Natura, ut vivere vellet
30 vel bene, vel, si non id liceat, misere.
31 Ut desiderium hoc nequeas reprehendere, si quis
32 in terris cupiat se superesse diu :
33 tum fateare mihi multo illud justius esse,
34 ad mentem si quis transferat atque animum.
35 Namque ut mens divina caduco corpore praestat,
36 vivere, sic illam dignius esse liquet.
37 Multi ergo studuere homines, post ultima fata,
38 quae tegeter cineres ne tegat urna decus.
39 Magna igitur pars bella gerunt, fusoque cruore,
40 saepe etiam innocuo, nomen habere volunt.
41 Marmore pars sculpunt vel fundunt signa metallo,
42 tantum non ipsa ut vivere signa putes.
43 Pars animant vivis depicta coloribus ora,
44 tantum non jures ut, sine voce, loqui.
45 Nil tamen his certum est namque omnia tempora perdunt
46 omnia dissolvit comminuitque dies.
47 Et qui bella gerunt, si non et bella canantur,
48 plorabunt nomen non superesse suum.
49 Vivere si cupiant, non est via tutior ulla,
50 quam nomen vivis concelebrare typis,
51 queis monumenta semel doctorum cusa virorum
52 temporis evadunt exsuperantque minas.
53 Praecipue vatum, quorum divinus Apollo
54 sacra Aganippaeis scripta rigavit aquis.
55 Nos etiam (si fas tantum sperare), libelle,
56 vixisse haec aetas posteriorque sciet.
57 Non mihi quod tantum tribuam temerarius, ut quae
58 conscribo, haec doctis annumeranda putem.
59 Quali acumque tamen sint, est laudanda voluntas,
60 ut si forte aliquis carmina nostra legat,
61 ipsa ut displiceant, hoc saltem dicere possit :
62 non, haec qui scripsit, desidiosus erat.
63 Ut taceam, quoties mediis securus in armis,
64 dum Mars insana seditione furit,
65 undique ut irruerent nobis mala plurima, praesens
66 abfuerim per te, care libelle, malis.
67 Vade igitur liber et quantum Genius tuus atque
68 permittet noster vivere, vive diu.
69 Et si forte (ut fit) nostris inspersa libellis
70 quaedam sint, doctis scripta probata minus,

71 non ego defendam, nec tu defendere tentes,
 72 praecipue sanctae res ea si Fidei est.
 73 Hanc ego Romanam sequor, ista si quid abhorret,
 74 deleo et indictum protinus esse volo.

AD IOANNEM DESTURMELLVM.

M1_2 v.1 Quem Musa caelo consecret, hunc virum
 2 fortuna duris cladibus obruat,
 3 primum necesse est : namque splendor
 4 clarior ex tenebris relucet.
 5 Vexata Virtus pulchrior emicat,
 6 altoque pulsat sidera vertice,
 7 livore major et molestae
 8 altior invidiae susurris.
 9 Sic, Vendevilli, te tua posteris
 10 virtus relinquet, nec tenebris sinet
 11 nomen tegi, sed explicabit
 12 nobilitas tua fortis alas.
 13 Nec stemma tantum, nec genus efferet,
 14 terra relictas, te, nec imagines
 15 quantum probata mens periculis
 16 et variis agitata rebus
 17 fidumque Regi pectus et insolens
 18 se fluctuantis credere partibus
 19 vulgi rebellis negligentis
 20 Imperium Jovis et Philippi.
 21 O ter beatos ! O ter et amplius,
 22 caeli benigni queis facilis favor
 23 verum, relictas nube falsi,
 24 conspicue dedit intueri.
 25 Non barbarorum his agmina militum,
 26 mentis quietae concutient statum,
 27 mercede Scotti vitam et auro
 28 ponere docti et obire mortem.
 29 Quid pejerati factio Principis
 30 tentet, beato desine in otio
 31 securus heros et quietus
 32 quaerere, nec quid agant in armis
 33 insanientes Pleumosii, Deum
 34 aris focusque et nobilium arcibus
 35 versis, labores scire, nec quo
 36 haec rabies abitura tandem.
 37 Sic quae pudico juncta toro tibi est
 38 uxor, beata prole puerpera,
 39 donabit heredem parenti
 40 divitiarum animique fortis.
 41 Qui fronte matrem, mente patrem exprimat,
 42 parvusque in aula lusitet, et statim
 43 artes paternas expedite
 44 a tenero meditetur ungui.
 45 Illum monebunt facta domestica,
 46 non otiosis gressibus arduae
 47 virtutis incultas salebras
 48 scandere, nec metuet labores.

49 Sic ominamur, quamlibet improba
50 jam tale votum Parca fefellerit,
51 nati tibi infantis recenter
52 fila manu properata scindens.
53 At tu, tenaci strictius interim
54 innecte cervices hedera tuae
55 uxoris, a livore tutus,
56 et procul a strepitu molesto,
57 proles ut illinc mascula prodeat,
58 frontem parentum inscripta decentius
59 notis, novusque Vendevillus
60 per patrias gradiatur artes.
61 Tum, si Poetae te numeri juvant,
62 gratumque nostrum si studium tibi est,
63 tuos dicabo, Vendevilli,
64 carmine posteritati honores.
65 Nam Musa perfecte invidia, prior,
66 oblivioso et tempore fortior,
67 quos est semel dignata honore,
68 nomina non moritura ponit.
69 Atqui ante caelo sidera defluant,
70 fluctusque terras obruat et mare
71 silvis relictis, capreaeque et
72 hinnulei timidi pererrent :
73 quam tanta virtus carmine congruo
74 scribatur a me, Publica quando Res
75 stet salva per te, quam refulcis,
76 nixam humeris, velut alter Atlas.
77 Non hoc negarit Balliolum patens
78 late, quod unum floret adhuc, tua
79 auctoritate ab imminente
80 pernicie procul et ruina.
81 Vicina fumant oppida adhuc, jacet
82 Messina, saevi militis impetu
83 eversa, Varnestum ac utrimque
84 Rollarium urbs data tota praedae.
85 Haec inter alte Balliolum manet,
86 nec vi, nec armis liberum, at unica
87 virtute providentiaque
88 egregii, puto, Vendevilli.
89 Laudabit ergo posteritas virum,
90 cujus favore et consilio gravi
91 non ista cladem de propinquis
92 traxerit urbs penitus favillis.
93 Heresque, salvas qui capiet domos,
94 vicina quando viderit oppida
95 circum ruinis esse plena,
96 muneris id sciet esse totum
97 ejus, prementis qui nihil anxius
98 sortis tumultu, pro patriis vigil
99 agris labores et pericla
100 pertulerit variasque curas.
101 Hoc calle euntem te, tua civitas
102 dignum corona querna, et aureis
103 nomen notis tuum putabit
104 marmore quod memori legatur.

105 Debebit unus, prae reliquis, tibi
 106 nomen decusque et praesidium suae
 107 vitae putabit Quaestor, arte
 108 jam prope perditus aemulorum.
 109 Sed innocentis simplicitas, tuis
 110 adserta verbis, altius exeret
 111 caput coruscum et invidorum
 112 parvi equidem faciet tumultus.
 113 Sic namque tractas publica, ut interim
 114 privata nusquam commoda negligas
 115 tui clientis, si prematur
 116 artibus illicitis malorum.
 117 Debebit ergo rem, decus et domum
 118 sartamque tectamque ingenue tibi
 119 privatim amicus publiceque
 120 Publica Res, bone Vendevilli.

AD LOYSAM

M1_3 v.1 Non ego jam mirer, Trojana ad moenia Graios
 2 per mare, mille agiles applicuisse rates.
 3 Causa fuit Graecas inter formosa puellas
 4 femina, per terram, per mare digna peti.
 5 Ipse ego renuam, per mille pericula mortis
 6 quaerere te, vitae causa, Loysa, meae.
 7 Ipse ego non renuam nostri tibi pocla cruoris
 8 fundere, virginei gloria prima chori.
 9 Si jubeas, jussu nigros penetravero ad Indos,
 10 si jubeas, Scythicas nil ego curo nives.
 11 Me tua forma rapit cogitque in vincula junctas
 12 ferre manus. Tuus ex utere servus ero.
 13 Nec grave servitium nos, te dominante, putamus,
 14 quidlibet injungas, nos mora nulla tenet.
 15 Te sine dulce nihil, tecum nihil esse molestum
 16 judico, nec mea mens hic (puto) laeva fuit.

EPIGRAMMA

M1_4 v.1 Nuper ego, Solis nimio vexante calore,
 2 quaerebam gelido frigus in amne mihi.
 3 Hinc conspecta Venus majori corda calore
 4 urit et in mediis me coquit ignis aquis.
 5 Quam mea sunt lentis obnoxia pectora flammis,
 6 si non sum medio tutus ab igne vado ?

SOMNIUM

M1_5 v.1 Ego me, premente somno
 2 placidae dedi quieti ;
 3 animum dolore fessum
 4 sopor altus occupavit.
 5 Ibi se mihi Loysa
 6 dedit obviam, manuque

7 mihi dexteramprehendit
8 simul et procul reduxit
9 sylvae in vagos recessus.
10 Animas locus beatas
11 scelerumque sorde puras
12 habet ille Amorque castus
13 volat huc et huc et illuc.
14 Tenerae rosas puellae et
15 violas legunt et herbas.
16 Bene olentibus parandis
17 studet illa et haec corollis.
18 Ibi me Loysa prato
19 medio jubet sedere,
20 liquidaque voce carmen
21 tenero canens Amori,
22 nemus omne personare
23 volucrum facit canoris
24 modulis ; renidet aer ;
25 violae rosaeque rident ;
26 strepit unda murmurillans,
27 citharaeque concinentis
28 numeros modosque dulces
29 iterans recantat Echo.
30 Ego mi videbar unus
31 homines beatus inter
32 alios beatiores,
33 placide in sinu recumbens
34 dominae, Jovi nec ipsi
35 Superis nec invidebam,
36 culices repente cum me
37 strepitu molestae et oris
38 pupugere telo acuto
39 placidumque somnum ocellis
40 animoque propulere.
41 Fugit illico Loysa,
42 fugiunt rosae et corollae
43 violaeque meque rursus
44 variis patere curis
45 video, Loysa quarum
46 mihi causa fonsque sola est.
47 Iterum timet repulsam
48 animus, focusque in imis
49 mihi perfurit medullis,
50 lacrimisque rursus ora
51 gemituque corda turgent.
52 Culices Dii Deaque
53 faciant perire, somnum
54 mihi qui meum abstulerunt,
55 at enim furens nec ursus,
56 leo nec lupusque fatum
57 mihi triste praeparabat.
58 Clytio sed ista lex est
59 data, credo, fato ut illi,
60 nec imago falsa somni,
61 animum dolore vero
62 queat obrutum levare.

63 Tamen, o Loysa flava,
 64 mihi sola spes amorque es,
 65 tua prima nostra flamma,
 66 tua et ultima est futura,
 67 mihi nullus a Loysae
 68 alius calescet ignis.

DE LOYSA

M1_6 v.1 Quae dea, supremi delapsa ex arce Tonantis,
 2 humanum misero pectus amore rapit.
 3 Non fas esse puto Divis deponere mores
 4 aut mutare suae conditionis opes.
 5 Sed me forma aliud cogit divina fateri,
 6 quique notat roseas splendor in ore genas.
 7 Quae, nisi caelitibus, non convenientia Divis,
 8 ut dubitem varium praecipitemque trahunt.
 9 Frons excelsa, humeri, solis aptissima Nymphis
 10 caesaries, pulchrum pectus et oris honos,
 11 incessus moresque Deae, me dicere cogunt
 12 semideamve hominem, semihominemve Deam.

AD LOYSAM

M1_7 v.1 Cum quid amore tui patior, mecum ipse revolvo,
 2 ex quo subjecit me tibi saevus Amor,
 3 vita odio est optoque mori, finemque malorum
 4 posse mihi sola judico morte dari.
 5 Cum bene contempsit vitam, mortique propinquus,
 6 jam jam oculos grata sentio nocte premi,
 7 protinus in mediis portus placidissimus undis
 8 jactatam ventis excipit, ecce ratem.
 9 Tamque propinquantis mens gaudet imagine mortis,
 10 ut redeat solitus per mea membra vigor.
 11 Sic mortis vita est, sic mors est causa salutis,
 12 sed morte in vera certior illa foret.

AD LOYSAM

M1_8 v.1 Ecce Cupidines, infelix ardeo flammis
 2 venit et ex oculis fax mihi prima tuis.
 3 Et jam succensi periissem viribus ignis,
 4 visa sed ista fuit poena remissa tibi.
 5 Das lacrimis causas ; si vis me, dura, perire,
 6 una fuit morti causa paranda meae ;
 7 qui venit ex oculis, lacrimis stillantibus, humor
 8 non sinit accenso pectus ab igne mori,
 9 sic tamen, ut flammis moderatior ille vicissim
 10 non mergat miserum largus in imbre suo.
 11 Vivo igitur spiroque, sed ut sit causa propinqua
 12 vita necis, vitae mors quoque causa meae.
 13 Si vis in cineres me, saeva, videre redactum,
 14 (quam tibi, plus certe haec vita molesta mihi est)

15 desine suppetias morienti ferre, semelque,
 16 nec moriar toties me sine (quaeso) mori.
 17 Quos tamen accusem ? Men' ? qui non pectora ferro
 18 dilacerem, morti constituamque modum ?
 19 An magis insimulem, qui me succendit, Amorem,
 20 qui dedit in vacuo pectore regna tibi ?
 21 Nam te Divini tutatur gratia vultus,
 22 absolvuntque ipsis aemula labra rosis.
 23 Hoc tamen admiror, miserum me vivere posse,
 24 cuius in exitium est causa reperta duplex.

AD LOYSAM

M1_9 v.1 O quae nec lacrimis mota calentibus,
 2 nec desiderii mei
 3 fervente impete, nec supplicio gravi,
 4 nec castis precibus, nec his
 5 quae possint rabidas flectere tigrides,
 6 aut si quicquam aliud magis
 7 saevum ac indomitum protulit Africa,
 8 monstrorum facilis parens,
 9 nomen quale putas, post obitum tibi
 10 in terris fore ? Cum tuam
 11 late saevitiam versibus et lyra
 12 vulgarim populis ? Nihil
 13 hac indignius est aut facie, aut comis,
 14 quae motae Zephyro levi,
 15 undantes humeris involitant tuis,
 16 quales vel neque Cynthius,
 17 nec vel pulchra Venus pectine dividunt,
 18 nil indignius est quidem
 19 isthac saevitiae, quae decus omnium
 20 deflorat Venerum, tibi
 21 quas Natura dedit, tam facilis parens
 22 isthic, dura noverca quam,
 23 mentem cum tribuit tam rigidam tibi.
 24 Istis condicionibus
 25 indignum est miseros fallere te diu.
 26 Ergo aut hos oculos et hanc
 27 cervicem roseam et purpureum decus
 28 oris, linque aliis, quibus
 29 non tantum placeat durities et haec
 30 importuna protervitas.
 31 Aut si vis, aliis virginibus prior
 32 forma, sideribus pares
 33 circumferre oculos et caput altius
 34 (flammis nocte minoribus
 35 qualis Luna decus pulchrior eripit)
 36 mores his similes cape.
 37 Sis simplex, facilis, quamque micantibus
 38 spem praebes oculis mihi,
 39 illam ne facias saevitia irritam,
 40 ne te posteritas ferat
 41 in nostri generis perniciem datam
 42 ab plectente homines Jove.

AD HENRIGHUM MEUCHENIUM

M1_10 v.1 Tu mihi saepe meos voluisse videris amores
 2 noscere, quaeque animum flava puella meum
 3 urat et haec lenta depascit pectora flamma,
 4 pectora servitio sacra, Cupido, tuo.
 5 Haesito quo tendas, dubium me cura fatigat,
 6 cur te tantopere haec sollicitudo coquat.
 7 Forte tibi videor non utilis esse puellis,
 8 nescio qua tamen hoc tu ratione putes.
 9 Membra valent animusque mihi viresque supersunt
 10 nec mea sunt morbo corpora fracta gravi.
 11 Ipsa etiam natura mihi respondet amori,
 12 satque mihi validum est ingenuumque latius.
 13 At male dispeream, si tuto dicere possim,
 14 ipse meos ignes deliciasque tibi.
 15 Cum tibi praecipue noctesque diesque teratur,
 16 si quis furta liber nequitiamque docet.
 17 Quale Catullus habet carmen, vel quale Tibullus,
 18 aut artis poenas qui dedit ipse suae.
 19 Quorum tu praecepta tenes usuque probata
 20 forte etiam in flammis experiare meis.
 21 Desine nequicquam nostros scrutarier ignes,
 22 haec tua suspecta est sollicitudo mihi.
 23 Saepe suos alicui nocuit dixisse calores,
 24 et, bene quod latuit, proposuisse palam.
 25 Vidi ego, qui socio facilis monstrarat amores,
 26 rivalem socii mox habuisse loco.
 27 Quo semel admissa carae intra limen amicae,
 28 exclusum rigidas ante jacere fores,
 29 hasque diu duras, miserum se saepe vocare
 30 audivi et facti paenituisse sui.
 31 Ne speres igitur, nisi me insanire putabis,
 32 indice me, Dominae nomina nosse meae.
 33 Illa quidem satis est quod sit mihi nota, nec ipsi
 34 praeterea fratri sit volo nota meo.

AD HENRICHUM MEVCHENIVM.

M1_11 v.1 Dic mihi, quis studium citius transcurrit, equina
 2 adstricti cujus brachia cauda trahit ?
 3 Ut pernicious equi cursus aequare coactus
 4 semiequesque voret semipedesque viam ?
 5 An mage, qui liber cursor, sese ipse suapte,
 6 nulla gerens manibus vincula, sponte movet ?
 7 Me dubitare facit, quod cauda tractus equina,
 8 seu nolit, debet currere, sive velit.
 9 Sponte sua currens, non impediens catena,
 10 se melius spatio liberiore movet.
 11 Sed cursoris equi pedibus qui tardior ipse
 12 subsequitur, cursus impediisse potest.
 13 Praecipue si fune aliquis brevior coactus
 14 in se extendentis clunibus haeret equi.

15 Aut si constrictus sequitur quis forte caballum,
 16 qualem, quem mittit Francia, miles habet.
 17 Qui cane non magno major vix esse putatur,
 18 quale fere feles corpus habere solent.
 19 Qui nisi Pygmaeis, quorum vix corpora ternum
 20 esse pedum dicunt, utilis esse nequit.
 21 Cui quis si adstringat latos humeros Alemanni,
 22 quem natum excipiens fassus es esse tuum,
 23 Rhene potens, pulchrae qui lambis moenia Bonnae,
 24 quando tuis, patrio more, probatur aquis,
 25 eveniet res digna tuo, Cato dure, cachinno,
 26 perpetuo risu quam celebrare velis.
 27 Ut cedat Germano equus hic, retroque trahatur,
 28 qui que trahendus erat, tandem equum ut ipse trahat.
 29 Praecipue medicos (medicis Germania praestat)
 30 jungens, iudicio desipit ille meo.
 31 Scilicet hi flexu nervorum fortius obstant,
 32 librantes propriis singula membra toris.
 33 Nempe sciunt quo quaeque modo disposita, valere
 34 plus possint artis traditione suae.
 35 Tale tibi, jucunde, aliquid si forte, magister,
 36 incidat (ut fati sors sua quemque trahit)
 37 utere consilio tibi fidi, Henriche, sodalis
 38 (rebus in alterius plus prope quisque sapit) :
 39 errantem mediis miles si invaserit agris,
 40 dum quaeris socii pignora fida tori
 41 natosve, aut si quicquam aliud sit carius istis,
 42 Ballioli tutum quod minus ante fuit,
 43 tum si te laevo miles, quae plurima turba est,
 44 brachio equo adstringat Francus, amice, suo,
 45 fortiter obsistas, (Germano in corpore virtus
 46 plus valet) ac equitem tu rape retrogradum,
 47 sed si vis minor est et equus te fortior urget,
 48 post primum, hoc melius consilium esse potest :
 49 dentibus ut soleam abripias, ut mitius inde
 50 sic exarmato te pede pulset equus.

AD LOYSAM

M1_12 v.1 Cur immerentem tot misere modis
 2 vexas, Loysa, et sollicitum rapis
 3 inter metumque spemque vanam,
 4 ut cinerem petulante vento ?
 5 Promittis et promissa eadem negas,
 6 Notisque et Euris praecipitas fidem,
 7 ignara quam furor repente
 8 fit patientia laesa certus.
 9 Non saevit ursus dentibus infremens,
 10 taurusve solus ? Nempe aquilae Jovis
 11 hostem in sinu expertae pudendum,
 12 exagitat furor et columbas.
 13 Nam nec leones soli acuunt graves
 14 iras in hostem, saepe etiam nimis
 15 vexata ovis repugnat, et me
 16 rupta fides toties movebit.

17 Tamen nec ausim verbere, nec manu
 18 saevire, nec vim, quam patior, tibi
 19 inferre, nec comas decentes
 20 ordine conspicuo movere.
 21 Haec rusticorum proelia non placent,
 22 Major mihi vindicta parabitur,
 23 seri tuum agnoscent nepotes
 24 ingeniumque fidemque fluxam,
 25 moresque pulchris dissimiles genis
 26 scientque vere hoc os roseum tibi
 27 ab Diis datum esse contegendis
 28 fraudibus, insidiis dolisque.
 29 Crudelitatem quae taceat tuam
 30 aetas, meorum conscia carminum,
 31 quae fundit oppressum dolore
 32 ingenium sterile, absque vena
 33 ut nempe famam non pariant mihi
 34 (quod nec laboro) dedecus attamen,
 35 tibi que turpe stigma inurent,
 36 nulla quod eluerit vetustas.

AD LOYSAM

M1_13 v.1 Quare candida candidas
 2 condis, virgo, papillulas
 3 rara sindone qualia
 4 leni lilia vitro ?
 5 Vestis rara parum nocet,
 6 ipsa, en, ubera duplici
 7 motu lactea cernimus
 8 impelli, modo lente.
 9 Mox raptim, tamen interim
 10 invidens oculis negat
 11 adspectum, tenui licet
 12 textum stamine velum.
 13 Cave ne tamen o furens
 14 imo pectore Amor manu
 15 proterva mihi suadeat
 16 velum hoc dilacerare,
 17 ut tandem pateant opes
 18 naturae, geminae et pares.
 19 Sororesque papillulae,
 20 rupto, ut lilia, vitro.

AD ANTONIUM MEIERVM

M1_14 v.1 Novem Sororum conscie Mejere,
 2 quarum sacerdos sacra colis, meas
 3 si quid vacat legisse nugas,
 4 pone supercilium severum,
 5 nec nostra ad unguem carmina discute,
 6 dictante nam quae scribo Cupidine
 7 frontem Catonis non requirunt
 8 sed tenerae faciem puellae.

9 Martis furentis terribiles minas,
 10 Flandrosque scissos seditionibus,
 11 regisque res gestas Philippi,
 12 Meuchenius tuus explicabit.
 13 Nobis Loysae flavi oculi et comae,
 14 manus decentes, lati humeri et gravis
 15 incessus, expertumque certis
 16 pectus amoribus est loquendum.
 17 Nos vina tantum scribimus et rosas
 18 dulcesque rixas et fluida oscula
 19 lyra loquace personamus
 20 in Dominae gremio faventis
 21 aut dissidentis tam temere mihi,
 22 quam mox resarta pace suaviter
 23 adblandientis et querelas
 24 basiolo facili levantis.
 25 Dum tu Vedasti grandius intonas
 26 miranda seris facta nepotibus,
 27 ursumque lambendo triformem
 28 evigilas, posita lucerna,
 29 aut mox sepultis carmine flebiles
 30 suprema solvis munia, naenias,
 31 threnodiarum tres libellos,
 32 tam variis numeris figurans,
 33 qua luce cassos arte revivere
 34 facis decusque adsumere postumum,
 35 quod non dies tempusve avarum
 36 eluat aut veniens senectus.
 37 Inscripta vivo marmore nomina
 38 delet vetustas. Sola manent, quibus
 39 favere Musae non recusant
 40 marmore firmiter et metallo.
 41 Quo te ruentem, Mejere, tramite
 42 miramur omnes, sive homines canis
 43 aura fruentes, seu sepultos
 44 carminibus revocas ab Orco.
 45 Hoc nempe poscit jam gravior tua
 46 aetas, et olim nos quoque, si dabit
 47 Deus senectam, fronte tristi
 48 oderimus faciles amores.
 49 Dignamque rugis sumpserimus lyram
 50 moresque, sed dum ver tenerum mihi
 51 ridere suadet cum Loysa,
 52 haec graviora valere jussi,
 53 nam cur juventae, quae fugiens volat
 54 florem severo carmine deteram
 55 meo meaeque subcoacto
 56 Ingenio et Genio puellae ?

AD ANTONIVM MEIERVM

M1_15 v.1 Quam male Pygmaeus Nemeaei terga leonis
 2 vestiat, Herculeum cingere sueta latus,
 3 nodosamve humeris clavam sibi commodet, Hydrae
 4 qua cecidit, crescens vulnere saepe caput.

5 Tam male Clitarchi nomen mihi convenit, ut cui
6 vix procul adspecta a limine Musa fuit.
7 Ergo mihi adpingens Clitarchi, Mejere, nomen,
8 rem facis, infectam quam magis esse velim.
9 Cum non Clitarchi ingenium cum nomine dones,
10 hoc est clitellas imposuisse bovi.
11 Scilicet hoc oneri est nomen mihi, cujus honorem
12 accessu tribui tu mihi forte putas.
13 Si tamen est aliquid nostri quod posse placere
14 ingenio visum est, Mejere docte, tuo,
15 id venit a Dominae Genio, nam totus ab illa
16 pendeo, ab illius carmina fronte fluunt.
17 Illa mihi numeros scribenti commoda dictat,
18 illa mihi est Helicon, illa Minerva mihi.
19 Sive lyrae cupiam teneros committere amores,
20 argutas digitis percutit illa fides ;
21 seu mecum cantare meas, mala carmina, nugas,
22 illius, fuerant quae mala, voce placent.
23 Et vitium ponunt et dulcia credere possis,
24 quamvis sint ipsis asperiora rubis.
25 Non tamen accedam, Clitarchum ut dicere possis,
26 non humeris sedeat sarcina tanta meis.
27 Me puerum memini patris vestisse jacentem
28 saepe habitum et sociis exhibuisse jocos,
29 illa, qua laxam subducunt cingula vestem
30 imos ridicule parte tegente pedes :
31 inferior verrebat humum pars, syrmate longo,
32 quali habitu in thalamum sponsa venire solet.
33 Calceus in pedibus largus fluidusque natabat
34 condebatque humeros pileus ipse meos.
35 Hoc habitu, Antoni, quis non risisset euntem,
36 in tunica clamans totum habitare patris ?
37 Tali (crede mihi) Clitarchi hoc nomine visus
38 absurdus mihi sum ridiculusque magis.
39 Ne tamen a reliquis discedam forte poetis,
40 hoc certe placitum est me placuisse tibi.
41 Esse aliquis videor tandem mihi, Mejere, postquam
42 nostra est iudicio Musa probata tuo.
43 Seu censoris agas sinceri munia, plane
44 iudice me tali laetor habere locum,
45 sive favore aliquid peccas, non displicet error,
46 indicium certi hic error amoris habet.
47 Est tamen et modus in rebus, quem tendere supra
48 nec potuere homines, nec voluere Dei,
49 quem te rumpentem nostri, bone Mejere, amore,
50 iudicii oblitum quis neget esse tui ?
51 Dum tua prae nostris contemnis carmina nugis,
52 carmina quae facilis dictat Apollo tibi.
53 Quae laudare loci non est nec temporis hujus,
54 nam satis ad laudem pagina nulla foret.
55 Vino non opus est hedera aut praecone, probato,
56 commendat vappam pampinus ante fores.
57 Non tua, nostra jacent, nos laudatoris egemus
58 sed lepide facitis tuque generque tuus.
59 Nasones Gener et Cicerones, qualis et ipse est,
60 adpingit titulis, nomina vana, meis.

61 Tu cum Clitarchis (o conspiratio pulchra !)
 62 tu mihi cum Flaccis Archilochisque venis.
 63 Egregii vero, si non erraret uterque,
 64 o laudatores ! Hinc gener, inde socer !
 65 Sit genero placuisse satis soceroque nec ultra
 66 ambio ut immerita laude superbus eam.

AD HENRICHVM MEUCHENIVM

M1_16 v.1 Scilicet hoc Phoebus patiatur et innuba Pallas
 2 casta sua a profugo milite castra coli,
 3 deserui Musas vel sum desertus ab illis,
 4 dum sequor alterius signa cruenta Dei.
 5 Quodque haec pauca suos constringo carmina presse
 6 in numeros, res est sane aliena mihi.
 7 Verba reluctantur sacrisque adsueta Poetis,
 8 inter quos prima frons tua fronde viret ;
 9 inscribi chartis armato a milite abhorrent
 10 et sese in numeros non patiuntur agi :
 11 aut brevior versus citra subsidit et extra
 12 legitimum crescit syllaba longa modum.
 13 Aut aliquid male compositum lacerumque cohaeret,
 14 nequicquam arroso dum caput ungue scabo.
 15 I nunc et Musas sub nostro, Henrice, latere
 16 aut gibbo aut strumis ingeniose puta.
 17 Quale mihi falso adpingunt gentile parentes
 18 nomen ! Sic valeam, nae mihi salsus homo es,
 19 qui Clio et reliquas, nusquam quas esse sciebas,
 20 sub gibbo ponis numina vana meo.
 21 Nam quam struma meo quam gibbus corpore toto,
 22 tam distans animo est docta Minerva meo.
 23 Ne tamen aut quid agam vel qui mea tempora fallam,
 24 ignores, breviter scire licebit : Amo.
 25 Hic mihi ne quaeras ubi amem, quid amemve, nec ultra
 26 scire velis, unum sit satis hoc, quod amo.
 27 Interea ad Dominae nostrae nos cudimus aures ;
 28 deposita Latia, Gallica metra, chely.
 29 Nil mihi cum Graecis, nihil est commune Latinis,
 30 non ego Maeonides, non cupiam esse Maro.
 31 Et magis optarem teneros describere amores
 32 Gallice et in Francis nomen habere aliquod.
 33 Non mea quod (nomen posui prope) Gallica Diva est
 34 sed mihi sic illi quae placuere, placent,
 35 sed quod eam videam Musis et carmine Gallo,
 36 (illi qua cupio parte placere) capi.
 37 Coepi igitur Flander Francas tractare Camenas,
 38 et sine barbarie, barbara verba sequi.
 39 Hic tibi si nostros liceat legisse calores,
 40 vix possis siccas continuisse genas.
 41 Tam tenere insanit mea Musa, Henriche, nec ullum
 42 exsilii ex alia parte, levamen habet.
 43 Saepe eadem vidit seros me condere soles,
 44 saepe eadem tardum cura vocare diem.
 45 His duco tempus studiis, hac arte dolorem
 46 lenio et exsilii tempora fallo mei.

47 Me patria extorrem dirus Mars egit et extra
 48 non sinit optata pace Cupido frui.
 49 Insignis vero, et titulis aequanda supremis
 50 gloria et ex prima laus venit ista nota.
 51 Unus homo Divum cessit virtute duorum
 52 hocque aegre illorum sustinet arma caput
 53 hoc unum male me distorquet, caetera sanus
 54 rideo Fortunae despicioque minas.
 55 Nam quaecumque rapit, quaecumque proterva reponit,
 56 pro lubito vere nec bona nec mala sunt.
 57 Quod mihi Nasonem, quod tu Cicerona tulisse
 58 exsilii tempus scribis utrumque sui :
 59 non ego nominibus demens me confero tantis,
 60 plus oneris, minus id, Meucheni, honoris habet.
 61 Sed quod victuris trades mea nomina chartis,
 62 (ut tua pollicita est pagina docta mihi)
 63 desipiam laudis si non attingar amore,
 64 nec cupiam a sera posteritate legi :
 65 sic quod ab ingenio frustra exspectavero nostro,
 66 debebo scriptis ingenioque tuo.

DE LOYSA SPECULVM INSPICIENTE

M1_17 v.1 Tristor cum speculum inspicit Loysa,
 2 nam si quid valeant sui lepores
 3 sciat, quos roseis foveat labellis,
 4 quid vultus faciesque gratiaequae,
 5 multo durior in dies diesque,
 6 preces et lacrimas superba spernet,
 7 nec mortalibus hos suos lepores
 8 nec vultum faciemque gratiasque
 9 concedet, Superis dicata tantum.
 10 Laetor cum speculum inspicit Loysa,
 11 nempe si repetat suos lepores
 12 secum, quos roseis foveat labellis,
 13 si vultum faciemque gratiasque,
 14 istam duritiem et ferum rigorem
 15 saevi pectoris expedita spernet,
 16 ut mens, et facies suavitate
 17 conspirent simul et pares ferantur.
 18 Sic miser nimis et nimis beatus
 19 tristor dum speculum inspicit Loysa,
 20 laetor dum speculum inspicit Loysa.

AD HENRICHVM MEVCHENIVM

M1_18 v.1 Perlecta est, Henriche, mihi tua littera et inde
 2 conquerimur mentis de levitate tuae.
 3 Quae dudum memor esse mei jurata fefellit
 4 inconstans mentem iudiciumque meum.
 5 Quando ego te vidi nostras plorare ruinas,
 6 quas sub civili Flandria Marte tulit,
 7 Varnestumque aliaequae urbes, quas hostis et hospes
 8 depraedatrici diripere manu :

9 dicebam veteres non effugisse sodales,
10 inter quos aliquem rebar habere locum.
11 Quem tibi conjungunt studii commercia sancti,
12 quo colit Aonias castus uterque Deas.
13 Sed nec te studium, nec te data dextera movit,
14 nec quae juravit lingua profana Deos.
15 Si mihi quis Pyladi vilescere dicat Orestem,
16 compellar vitio credere, amice, tuo.
17 Non ego te cogo, centum mihi carmina scribas,
18 qualis quaestori littera missa fuit.
19 Hoc unum doleo, conscripti nomen amici
20 te dedignatum versibus esse tuis.
21 Siccine victuris trades mea nomina chartis ?
22 Sic per te crescet postuma fama mihi ?
23 Cum tibi Balliolum celebratum est carmine totum,
24 unum conqueror hoc, nomen abesse meum.
25 Cum descripta tibi series tam longa virorum
26 digessit numeris nomina dura suis,
27 Gislenum quocumque loco posuisse licebat,
28 ut te non videat non meminisse sui.
29 Solus ego, o Henriche, tuis indictus abibo
30 carminibus ? Verum hoc qua ratione feram ?
31 Cum non obsistant numeris mea dura Latinis
32 nomina sed facile huc se patiantur agi.
33 Sint - Omars, Stroprock et talia monstra reducens
34 quae tua dignata est carmine Musa suo.
35 Dicebam : locus hic nullus mihi, cum tamen haud sit
36 durius his nomen barbariusve mihi ?
37 Atqui age : Concedam, tantum tota urbe relegit,
38 quorum Res studio Publica salva fuit.
39 Hic mihi nil juris, non hac sum civis in urbe,
40 votaue sint isthic improba habere locum.
41 Sed Dominam relegens Gortwillam stemmate claram
42 clamabam : locus est, est locus iste meus.
43 Hic simul aestivas laeti traduximus horas,
44 hic (puto) non poterit non meminisse mei.
45 Et simul inferius specto, si nullus adesset
46 Gislenus toto carmine : nullus erat.
47 Erupi demum hic : I nunc et fide Poetis,
48 quos levius ventis pectus habere liquet.
49 Ergone et poteras Cortwillam dicere et esse
50 nominis oblitus, dure Poeta, mei ?
51 Non melius tenerae junguntur vitibus ulmi,
52 quam foret illius filia juncta mihi.
53 Mirer ut hanc animo potuisse occurrere et illinc
54 Gisleni nomen longius esse tui.
55 Sed vel amor sordet noster tibi, vel tua magna est
56 segnities, magnum crimen utrimque tibi.
57 Elige utrum sanctae malis abrumpere prorsus
58 foedus amicitiae, nec meminisse mei,
59 an mage commissum longe dissolvere crimen
60 carmine, qua potes hoc solve parte : vale.

M1_19 v.1 Palleat illicito quisquis torquetur amore,
 2 alterius violans jura fidemque tori
 3 ense latus cingens armet sua pectora ferro,
 4 latronumque trahat post sua terga manum.
 5 Quae curis tot juncta haud est segura voluptas,
 6 ne sint hae Veneres deliciaeque meae.
 7 Numquam tanta mihi vertens insania mentem,
 8 me faciat damna haec tam manifesta sequi.
 9 Principio quis non patrium fundumque laremque
 10 in nuptam perdat ? Proficiatque nihil ?
 11 An dubitas, illi (quod si peregrina libido
 12 hanc capiat) quin sit copia magna domi ?
 13 Ecce cocum, qui si tibi forte videtur ineptus,
 14 [lacune]

LIBER SECVNDVS

AD LOYSAM

M2_1 v.1 Ne te commoveat, carmine quod meo
 2 scripta est docta Lyce flavaque quod Phole,
 3 et Faustina legatur,
 4 magnis divitiis potens.
 5 Ne credas animum tam variis meum
 6 exuri ignibus aut fervere fluctibus,
 7 qui constans tibi certo
 8 juravit stabilem fidem.
 9 Una nostra calet mens face, nec vagis
 10 (ut sueta est juvenum pars potior, fere
 11 flammae nescia certae)
 12 delectatur amoribus.
 13 Sed quod docta Lyce carmine dicitur,
 14 quod Faustina meo flavaque quod Phole,
 15 tantum nomine solo
 16 et non ulterius placent.
 17 Cum si quid cupio dicere mollius,
 18 quo non dura Venus rideat et Puer,
 19 illic relligio sit
 20 uti nomine me tuo
 21 nam nec Penelope castius uritur,
 22 exspectans reditum fortis Ulysssei,
 23 nec Lucretia, tardi
 24 inconcussa viri mora :
 25 quam me castus amor torret et insolens
 26 lascivae Veneris risibus obsequi.
 27 Sic me flamma Loysae
 28 vulgi sordibus eripit.

EPIGRAMMA

M2_2 v.1 Si quid agas, cum multo, dignum laude, labore,
 2 laus manet aeternum, sed perit ipse labor :
 3 si quid turpe placet, quicquid placet, omne recedit,
 4 turpe tamen multo fixius usque manet.

AD ROMANAE ACADEMIAE DOCTORES

M2_3 v.1 Saepe mihi puero narrata est fabula, Romae
 2 esse ruinosis omnia plena locis.
 3 Marmora cum signis disrupta jacere per urbem
 4 et nulla antiquum parte referre decus,
 5 omnia Gottorum manibus direpta cruentis,
 6 omnia Vandalica semisepulta lue.
 7 Haerebam quondam puer haec narrantis ab ore
 8 et dolui casu, maxima Roma, tuo.
 9 Nec tenui lacrimas, tamquam de civibus unus,
 10 ruptaque sunt gemitu verba subinde meo.
 11 Barbara me risit mater, risere sorores,
 12 et patri pietas nostra jocosa fuit.
 13 Interea mecum : Cur non jam, Roma, beata es ?
 14 Cur tuus est ulla parte minutus honos ?
 15 Restares tantum tu quantulacumque, fuisses
 16 prorsus saepe oculis visa, revisa meis.
 17 Nam nihil hic reliqui nisi saxa gravesque ruinas
 18 persuasit puero fabula vana mihi.
 19 Excolor interea jam prima aetate Latinis
 20 artibus, ad ripas, Lyzia sancte, tuas.
 21 Verba placent Romana mihi. Vel nomine solo,
 22 non intellectis verba legenda notis.
 23 Donec paulatim nimio discentis amore
 24 percepta est aliquo lingua Latina modo.
 25 Tum superesse aliquam ac etiamnum vivere Roman
 26 doctus, ad hanc toto pectore saepe feror.
 27 Saepe patri me suasit amor subducere furtim,
 28 regnaque, deserta matre, Latina sequi.
 29 Et patriae et Romae rapit in contraria mentem
 30 nostram amor et pietas vellet utroque frui.
 31 Saepe fatigatus precibus pater : I, pede fausto
 32 quo tua te (dixit) mens male sana rapit.
 33 Laetus equum scando, mater dulcesque sorores
 34 hoc habitu lacrimas non tenuere suas.
 35 Divellor tamen et silvas saltusque relinquens
 36 trajicio caecis flumina multa vadis.
 37 Quin et sideribus vicinas transvehor Alpes
 38 et saxa aestiva semper onusta nive.
 39 Tandem Romana sistor defessus in urbe,
 40 et visa est major nomine Roma suo.
 41 Non dicam nec opes, nec templa superba, nec aedes,
 42 et quae praeterea dicere longa mora est.
 43 Scilicet, ut sint magna, tamen communia multis
 44 sunt ea nec verae nomina laudis habent :
 45 utpote Fortunae ludis exposta protervae,

46 atque suo tandem dissoluenda die.
 47 Ingenii potius vires et mentis acumen
 48 in populo miror, Roma beata, tuo.
 49 Et mores veterum et verae virtutis amorem,
 50 et quae vix paucis est bene nota, fidem.
 51 Haec neque Fortunae neque sunt obnoxia denti
 52 temporis, haec numquam dura senecta premit.
 53 Marmora sola dies minuit roditque metallum
 54 et finem inveniunt aenea signa suum.
 55 Una fugit Virtus aevi inviolabilis iras,
 56 et cum praetereant omnia, sola manet.
 57 Barbarus haec quondam disjecit moenia Gottus
 58 et rapuit Latias Vandalus hostis opes,
 59 quas potuit, victor rapuit res ille caducas,
 60 casuras vitio res aliquando suo.
 61 Parte tamen meliore sui manet inclyta Roma,
 62 nec tulit hostiles mens generosa manus.
 63 Quaeque fuit dubiis quondam constantia rebus
 64 et facies nullis exanimata malis,
 65 durat, Fortunae nec vi, nec fracta favore,
 66 nec Roma a priscis degeneravit avis.
 67 Si non consueto Capitolia celsa metallo,
 68 majori splendent nobilitate Patrum,
 69 si non templa auro, nec sunt pretiosa superbis
 70 falsorum statuis marmoribusque Deum,
 71 cum Jove mille aliis pulsus, Christoque recepto,
 72 a vera capiunt relligione decus.
 73 Tum si non stellas insana palatia pulsant,
 74 (quales majorum credo fuisse domos)
 75 non tamen inferius genus intus vivere certum est,
 76 Romaque, quam domibus, plus pietate valet.
 77 Nam quamvis etiam nunc multa palatia priscis
 78 certent, ingeniis confabricata novis :
 79 si, nisi digna domus Virtuti, nulla futura est,
 80 civibus his equidem est nulla futura domus.
 81 Quos quicquid fuit antiquis mirabile saeculis,
 82 Pax, Pietas, Virtus, Relligioque beat.
 83 Quos ego cum vidi, veteres vidisse Catones,
 84 Marcellos, Curios, Scipiadasque puto.
 85 Spirat adhuc priscum majorum vultus honorem,
 86 Romanum retinent frons oculique decus.
 87 Vive diu felix orbis Regina, tuumque
 88 cura Dei caelis insere, Roma, caput.

AD HENRICHVM MEVCHENIVM

M2_4 v.1 Sic, Henriche, tibi facilis declaret Apollo
 2 quaeque sit herba nocens, quaeque sit herba juvans,
 3 et tibi demonstret patrias Epidaurius artes,
 4 nec vitiet stomachum febris acuta tuum.
 5 Quod morbi genus est Amor ? Aut queis pellitur herbis,
 6 qui mihi tam lento torret in igne jecur ?
 7 Infelix Amor, infelix propiorque furori,
 8 succurras, jam nec tam mora longa necat.
 9 Jam duo praeteriere anni, jam tertius instat,

10 nec meus hic tanto tempore morbus abit.
 11 Quin etiam crescit viresque adsumit ab ipso
 12 tempore, nec longa pellitur ille mora.
 13 Quoque magis tegitur, tanto vis aestuat intus
 14 acrior et caeco pectus in igne coquit.
 15 Musasque et studium, quondam gratissima nobis,
 16 vix mihi nunc aliqua parte placere putes,
 17 ac adeo sordent, nisi si qua alimenta ministrent
 18 errori, si non est magis ille furor.
 19 Si quid ago, ut lento subducam pectus amori,
 20 protinus hinc vires accipit acer Amor.
 21 Sic me Divini tangit praesentia vultus,
 22 ejus ut absentis fortius igne cremer,
 23 absentis sic me dstringit cura puellae,
 24 ut praesentis non experiamur opem.
 25 Nunc age quid faciam, vel quo medicamine morbum
 26 propellam, ex artis dic ratione tuae.
 27 Ipse ego conatus Dominae sum flectere mentem
 28 obsequio, officiis, integritate, fide,
 29 sed nihil efficio officiis precibusve fideve,
 30 nec moveo verbis obsequiove meam.
 31 Nunc tu, si qua tibi est nostro medicina dolori
 32 in promptu, huc adsis, auxiliare mihi.
 33 Sive habeas aliquid, Dominae quo forte favorem
 34 et studium possis conciliare mihi,
 35 huc ades et veteri facilis succurre sodali,
 36 qui me consumit, sic tibi parcat Amor,
 37 et quae Posteritas nostros cantabit amores,
 38 audiet ingenio me superasse tuo.
 39 Certe ego quae collata in me benefacta videbo,
 40 non equidem haec vellem dissimulare palam.

COMPOTATIO

M2_5 v.1 Huc Bacche, dulcis laetitiae dator,
 2 accede, Musas non ego sobrias
 3 ad ebrii mensam vocarim
 4 Meuchenii neque virginales
 5 vultus jocosae fert Veneris chorus.
 6 Pares sodales simplicius fere
 7 ponunt dolores et remota
 8 tristitia coeunt. Catone
 9 coramque rugas quas teneant gravi,
 10 tandem serenis frontibus explicent.
 11 Qualis fuit nuper coorta
 12 rixa super patera capaci.
 13 Conveneramus Meuchenii in domum,
 14 mecum beati Empellius otii,
 15 et Julius, fere Italorum
 16 more, scyphis inimicus amplis.
 17 Primum modestis proelia poculis
 18 tentamus uncti, seria cum jocis
 19 subtemperantes et coronis
 20 tempora flectilibus revincti.
 21 Sed pulsa postquam prima sitis mero

22 cessit, recluso vas abaco rapit
23 convivii Rex et magister
24 Meuchenius : stupet omnis ordo
25 cratera magnum, quo Lapithas putes
26 pugnasse quondam, cum nimio graves
27 vino super mensis revulsis
28 Pirithoi cecidere dextra.
29 Illum renidens Meuchenius meri
30 spumantis implet, tum mihi proxime
31 forte assidenti praebibendo.
32 Regis hic haustus erit Philippi,
33 inquit, cui dent Dii Superi decus,
34 quale et meretur deque rebellibus
35 victoriam brevi et triumphum.
36 Obstupui extimuique totus.
37 Adponit ori mox calicem impiger,
38 tractuque siccat fortiter unico,
39 nec spiritum bibens resumpsit,
40 nec lacrimas oculis profudit.
41 Ut quod negatum sit toties mihi,
42 ultro fateri jam prope debeam,
43 qui sic bibat, Rheni esse natum
44 turgida flumina trans bicornis.
45 Urgemur hinc nos ad paria. At neque
46 vires supersunt nec satis efficax
47 tam larga spiritus bibendo
48 pocula ducere tractu in uno.
49 Utcumque plenam nos pateram tamen
50 vini, pitissando, evacuavimus,
51 Empelliusque me secutus,
52 corporis exigui sed acris.
53 Hic restitabat Julius : at moras
54 frustra renectens obruitur pari
55 sententia prope assidentum
56 sollicitus misere aestuansque.
57 Nec fraude conjux sedula proficit
58 quantumque furtim de patera rapit
59 tantum vigil vim ampliusque
60 Meuchenius subito refundit.
61 Tardasque clamans increpitat moras,
62 tandem coronam Julius ultimam
63 absolvit inversumque reddit
64 Meuchenio calicem priori
65 finisque curis hic fuit et scyphis
66 plenosque Bacchi dedecuit nihil,
67 ductare seu leves choraemas
68 cum teneris libuit puellis,
69 seu de remotis disserere acriter
70 causis ; disertos Ebrietas facit
71 rerumque scrutatur profundos
72 ingenio intrepide recessus.

DE OCCVRSV LYCES

M2_6 v.1 Flammeus Occiduis jam Sol successerat undis
2 et stabant tacito sidera clara polo,
3 phosphoros hinc radios illinc spargebat Orion,
4 parte alia medium Luna tenebat iter,
5 egredior solus, nullo comitante meorum,
6 addebant animum Bacchus Amorque mihi.
7 Pulsabam citharam nostri solamen amoris,
8 ense tamen rigido molle premente latus.
9 Maesta super Domina cantabam carmina nostra
10 et vocem citharae lene juvabat opus.
11 Ecce Lyce occurrit, divino semine prorsus
12 nata, verecundo Virgo pudore placens,
13 qualis purpureo gracilis rosa picta colore,
14 vicinis tollit floribus omne decus.
15 Sic quoque visa mihi (verum me namque fateri
16 cogit Amor) stellas vincere virgo poli.
17 Quid ? Quod Luna etiam, tam pulchra exterrita forma,
18 conata est proprias arte juvare faces ?
19 Palluit infelix nulla quod ab arte puella
20 compta potest vultus exsuperare Deae.
21 Nam nec compta fuit, nec erat digesta per artem
22 caesaries divis aequiparanda comis.
23 Non erat ad speculum facies ornata, nec ullus
24 fucata fronti redditus arte color.
25 Dentis ebur (sed et hoc dederat Natura) placebat,
26 inter purpureis aemula labra rosis.
27 Cervix alta patet facies augusta genaeque
28 sanguineae, ardentes lumen utrumque faces.
29 Frons excelsa satis crispisque hinc inde renidens
30 crinibus. At nasi gratia quanta fuit ?
31 Stant humeri excelsi quales Heroides olim
32 ipsis aequandas Diis, habuisse ferunt.
33 Ubera describam ? Scribenti carmina desint
34 tam sunt diversis illa verenda modis.
35 Non pendent demissa nimis, neque flavida languent,
36 stant velut ex Pario marmore sculpta forent.
37 Molliter adsurgunt nive candidiora recenti
38 et gracilis summo vertice gemma sedet.
39 Et trepidae circum saliunt pulchro ordine venae,
40 hei mihi ! quas flammis hinc jaculatur Amor ?
41 Claude oculos : vidisse nocet, decede repente,
42 qui cupis a rapidis pectora salva focis.
43 Si dulces audisse nocet Sirenas in undis,
44 cantantes blando carmina grata sono,
45 si nudam vidisse nocet sine veste Dianam,
46 candida dum vitreis membra lavaret aquis,
47 si loton gustasse nocet fructusque suaves,
48 quae faciunt patrii non meminisse soli,
49 has vidisse nocet, nocet has tetigisse papillas,
50 his gravis uberibus condita flama latet.
51 Flamma latet nullas umquam exstinguenda per undas,
52 flamma latet saevo fulmine acuta magis.
53 Qui semel adspexit tetigitve haec ubera, flammam
54 hausit et occultis ignibus ille perit.

55 Claude oculos, ne tange manu, neve oscula fige,
 56 omnibus his urit pectora flamma modis.
 57 Sed tu, virgo, tuas cur fers sine veste papillas,
 58 nec secus ac facies ubera nuda patent ?
 59 An quia non movet ista satis tibi pectora nostra ?
 60 Plus satis ista quidem pectora nostra movet.
 61 Sed vis ut geminis hinc illinc ignibus urar,
 62 uror, et, en, toto pectore saevit amor.
 63 Aut tege, virgo, tuas inducta veste papillas,
 64 protinus aut flores hos ego carpo tuos.
 65 Vis mentem mihi major agit, succumbo furori
 66 ipse meo et victus vincula dura fero.
 67 Sed satis attonito calamo miracula rerum,
 68 ubera scribentem detinuere diu.
 69 Ulterius juvat ire, tamen vix vellimur inde :
 70 quae vis uberibus tanta latere potest ?
 71 Nos tamen insignesque manus niveique lacerti
 72 et quae conveniunt, cetera membra vocant.
 73 Talis visa mihi sed non concessa puella est,
 74 istius, nec enim res erat ista loci.
 75 Aggredior tamen et solito de more saluto,
 76 nec mihi difficilis visa fuisse fuit.
 77 Laevo flexa genu limis subrisit ocellis ;
 78 quam cuperet comites tunc abiisse suas ?
 79 Et tamen arrisit, nec spem mihi sustulit omnem,
 80 virginibus qui mos omnibus esse solet.
 81 Fallor an occultis quicquam signare volebat
 82 illa notis ? Ad quid junxit utramque manum ?
 83 Quid non fingit Amor ? Quas non excogitat artes,
 84 ut capiat tectas ille vel illa notas ?
 85 Jungimus aut digitos, veluti convenerat ante,
 86 aut premimus laeva pectora nostra manu,
 87 saepe caput tactum, quin ipso in pulvere scripta
 88 litera praesentem saepe fefellit anum.
 89 Oscula da manibus, manibus data viderit alter
 90 oscula, propositum mox sciet ille tuum.
 91 Viderit haec alius custos materve paterve,
 92 nesciet illorum quid sibi signa velint,
 93 sic dum nos stetimus nutu signisque loquentes,
 94 heu quam sunt celeri tempora lapsa rota ?
 95 Illa abiit jussu comitum, motoque valere
 96 vertice me forsitan cras reditura, jubet.

AD NOCTEM

M2_7 v.1 Heu quam lenta dies, quam sera crepuscula Noctis
 2 adveniunt ! Jam me tam mora longa necat.
 3 Quam Sol lentus abit, causas qui tollit amoris !
 4 Quis credat ? Luce est Nox mihi grata magis.
 5 Huc, Nox grata, veni, densas diffunde tenebras,
 6 et surgant toto sidera rara polo.
 7 Felices hyemes et terque quaterque beatae,
 8 quae faciunt noctis tempora longa mihi.
 9 Ver teneras spargat violasque rosasque superbum
 10 ornatumque ferat floribus usque caput,

11 frugibus insignis caeloque superbiat Aestas,
 12 et Cereris cingat munere laeta comas,
 13 jactet et Autumnus pendentes vitibus uvas
 14 et sua non uno poma colore notet,
 15 cana licet nivibus stet et acri frigore, longas
 16 quod faciat noctes, Bruma beata sat est.
 17 Illa suas latebras facilis praebebit amanti
 18 et dabit adventu multa tegetque suo.
 19 Nox optata, veni : cur tam diu, Luna, moraris,
 20 jam reor imperii tempus adesse tui.
 21 Frater abest totoque tibi concessit Olympo,
 22 inducas flammam, Luna beata, tuas.
 23 Tandem lenta venis ? Prope jam stata tempora nobis
 24 lapsa fluunt, nec adhuc nos tamen ire sinis.
 25 Surge, precor, surge et dum nos breve tempus amicae
 26 jungit, agas currus tum, Dea lenta, tuos.
 27 Non cupio, ut geminas uno nox contrahat umbras
 28 tempore, sed justas da mihi, Diva, moras.
 29 Ecce dies discessit, adest nox grata puellis
 30 sideraque en toto stant taciturna polo :
 31 hinc Phoebe splendens, illinc juga tarda Beotes.
 32 Omnia sunt votis apta futura meis.
 33 Da gladium citharamque, puer, solamen Amoris,
 34 nocte iter ingrediar, dat mihi robur Amor.
 35 Ipse vel Aethiopas, vel me deducat ad Indos,
 36 seu jubeat terra, seu magis ire mari,
 37 non ego latrones, quae magna est turba, timebo :
 38 quae petitur, vires dat mea Diva mihi.
 39 Hei mihi ! deficio, flaccescunt corpore membra ;
 40 hei mihi ! juratam lusit amica fidem.
 41 Hic locus, haec eadem est de qua convenerat, arbor,
 42 nulla Lyces tamen hic signa videre meae est.
 43 Forsitan adveniet, nec adhuc custodia matris
 44 cessat, sed mediae tempora noctis eunt.
 45 Quid te, flava Lyce, quid te, mea vita, moratur ?
 46 Juratamque jubet deseruisse fidem ?
 47 Sed quid ego accusem ? Non est haec culpa parentum,
 48 si vis, hos solito fallere more potes.
 49 Sed, puto, nunc nostros fallax contemnis amores ;
 50 quae fuit ante mea, hanc forsitan alter habet.
 51 Hoc si scire queam, certum est discedere vita,
 52 mene putas sine te vivere posse diu ?
 53 Ergo tibi jam sordet amor, pulcherrima, noster,
 54 jam video mortis tempus adesse meae.
 55 Sed quid ego infelix, sine spe, crudelia frustra
 56 non profectura carmina voce cano ?

HOSPES ET CHLOE

HOSPES

M2_8 v.1 Quaenam causa genas tibi
 2 florentes lacrimis occupat et movet
 3 tam tristes querimonias ?
 4 An furto pecus, an dente periit lupi ?
 5 Sic ut dura parens tibi

6 pulsarit tenerum verberibus latus,
 7 quod tu nunc doleas, sub hac
 8 dum pendent capreae rupe ? Quid ingemis ?
 9 Quid suspiria pectore
 10 imo lenta trahis, sola sub ilice hac ?

CHLOE

11 Nec mi dura parens latus
 12 pulsavit, neque grex est numero meus
 13 furto aut dente lupi minor.
 14 Sed longe gravior causa animum quatit,
 15 quae, sub pectore saeviens
 16 me me nocte jubet flere, jubet die.
 17 Id quod continuis genae
 18 fecundae lacrimis (ut taceam) satis
 19 divulgant, neque tu meum
 20 speres ulterius nosse malum latens.

HOSPES

21 Jam nunc, ut taceas, satis
 22 per se, virgo, tui causa patet mali.
 23 Nam (ni mens mea fallitur)
 24 qui me vexat amor, te quoque macerat
 25 cujus tu poteris meis
 26 notam saevitiemque et solitos dolos
 27 secure auribus ac fere
 28 surdis credere. Nam par animum meum
 29 torquet jam prope tertiam
 30 aestatem furor et me mihi surripit.

CHLOE

31 Postquam par animum tuum
 32 urit flama, nec est res nova Amor tibi,
 33 qui victa ossa, medullitus
 34 irrepens, dominis vim rationibus
 35 affert, imperium occupans,
 36 hospes disce mei principium mali :
 37 exest me Philomusi amor,
 38 quem, si fata sinant, eripere audeam
 39 Orco, non tamen ille me
 40 curat, nec Veneris numine ducitur.

HOSPES

41 O crudum ingenium viri !
 42 Quaenam Barbaries hunc aluit Chloen
 43 qui vidit, neque protinus
 44 admisit Cypriam pectoribus facem ?
 45 Nimirum Veneri placet
 46 discordes animos nectere amoribus.
 47 Sic me, sic quoque negligit
 48 vitae vita meae, flava Loysa, quae
 49 nec flecti precibus meis,
 50 nec rupto gemitu, nec lacrimis potest.

CHLOE

51 Sic me (me miseram !) tenet
 52 totam me ille, nec est lenior aut mari,
 53 aut istis scopulis, sed hac,
 54 sub qua constitimus, durior ilice ;
 55 me serpente magis fugit,
 56 nec flecti lacrimis, nec gemitu Chloes,

57 nec grato obsequio potest.
 58 Et (quod plus cruciat) nescio quae malum
 59 felix sidere prospero
 60 non hunc, sed potius me, mihi detinet.
 HOSPES
 61 Quaenam detineat tuum
 62 vel, si vis, tibi te femina pulchrior ?
 63 Quando forma tibi tua est
 64 cum qua non dubitet Juppiter aureus
 65 mutasse aut Danaen suam
 66 aut quam sub niveo luserat alite ?
 67 Sic splendent roseae genae,
 68 sic acres oculi sideribus pares
 69 flavescentesque comae, quibus
 70 mens devincta, velut compede, langueat.
 CHLOE
 71 Non istis placeo mihi
 72 vanis laudibus, aut his cupiam modis
 73 devinxisse animum mei
 74 ingrati Philomusi, una fides mea
 75 inconcussa merebitur
 76 ut tandem jecur efferveat ignibus
 77 illius paribus. Licet
 78 (ut verum fatear) spem tenuem mihi
 79 mores illius asperi
 80 linquant et nimis (ah !) grata superbia.
 HOSPES
 81 Quamquam tu pecoris tui
 82 custos dissimules et genus et domum,
 83 neglecto hoc habitu, tamen
 84 res ipsa eloquitur, pulchra Chloe, satis
 85 te vel semideam, vel his
 86 nympham montibus, aut huic nemori Deam
 87 conficto tibi nomine
 88 abscondisse Chloes, ingenium sacrum.
 89 Sic nam verba fluunt tibi,
 90 cum tu de teneris dicis amoribus.
 CHLOE
 91 Non sum Nympha, nec est mihi,
 92 ne te decipiat error inutilis,
 93 humano genus altius.
 94 Sed si de teneris composite loquor
 95 (ut vis hospes) amoribus,
 96 versus dictat Amor composite mihi.
 97 Sic saepe hi scopuli, hoc nemus
 98 nostris carminibus vel gemitu sonant :
 99 sive hymnum Veneri canam,
 100 seu dicam Philomusi ingenium ferox.
 HOSPES
 101 Nunc (o pulchra Chloe) velim
 102 postquam nec mea flaua Loysa, nec
 103 te curat tuus improbus,
 104 mutatis penitus condicionibus,
 105 nos uri face mutua,
 106 ut me pulchra Chloe spectet, ego Chloen.
 107 Nam cur ulterius juvet

108 ingratis adeo pectoribus fidem
 109 servare et stabilem et ratam ?
 110 Nec gratum id Veneri est, nec Superis placet.

CHLOE

111 Quamquam nata humili loco
 112 (o hospes) pecudes pascam et alam gregem,
 113 ne speres animum tamen
 114 nostrum abducere, nec flectere mollibus
 115 verbis. Dii propius meis
 116 cras, si non hodie, forte caloribus
 117 fautores aderunt et hanc
 118 indignam Philomuso excutient meo
 119 tandem saevitiem. Preces
 120 pondus cum lacrimis forte habeant suum.

HOSPES

121 O pulhcrum haud dubie fidem !
 122 Et pectus tenerum propositi tenax !
 123 Servabo ergo fidem meae,
 124 quamquam dura preces et lacrimas Notis
 125 tradat per mare spargere.
 126 Nil non longa dies efficit et labor
 127 et pectus patiens morae,
 128 si nil artibus his efficiam, tamen
 129 non me dedecet immori
 130 constanti juvenem pectore amoribus.

CHLOE

131 Praeceptis ecce fugit dies
 132 majoresque cadunt montibus arduis
 133 umbrae, lucidus Hesperus
 134 jam nos dividit ac ire domum monet.
 135 Verum tu interea vale,
 136 Et, si quando tibi Dii faciles dabunt
 137 optatum hisce laboribus
 138 finem, tunc Philomusi memor et Chloes,
 139 dic : ut nunc mea me tenet,
 140 sic (o Dii) teneat fida Chloe suum.

AD VENEREM

M2_9 v.1 Nam quid sollicitas ulterius, quem sibi proprium,
 2 o Regina Cypri, Cortevilae flamma calens habet ?
 3 Non est (ut liceat servitii vincula pristini
 4 dissolvere) animus crura novo subdere compedi.
 5 Qui mutat Domina servitium durius occupat
 6 nobis nempe Loysae ingenium et nota modestia est,
 7 immitis Glycerae incognita mens atque protervitas.
 8 Si mutare jubes, da, Venus, ut liber ab omnibus
 9 possim compedibus vivere, vel me sine dulciter
 10 delirare mihi. Non Dominae tam piget, ut velim
 11 commutare vetus praepropere servitium novo.

COMPOTATIO

M2_10 v.1 Vina, puer rosasque
 2 expedi nobis, violis obrue strata vernis.
 3 Tota dies amicis
 4 ista debetur, capiti sarta oleumque porge
 5 nam lubet ad lucernam
 6 usque perpotare Falernum vetus ex diota.
 7 Hinc nec abire, donec
 8 una saltem gutta supersit : valeant dolores
 9 atque metus edaces,
 10 qui tumultu praecipitant exagitantque mentem.
 11 Mejerus ecce noster
 12 cum repando se cyatho effert generumque nutu
 13 provocat ad capaces
 14 non reluctantem calices. Morigerandum amico est.
 15 Perge, scyphos corona,
 16 et rubens despumet Iacchus rutilanti in auro.
 17 Lege, fideque certa
 18 quisque, quod debet, bibat. Hic sobrius ebriosos
 19 ne notet, id cavendum est.
 20 Ecce jam nunc tota domus volvere se videtur,
 21 et geminum lucerna
 22 explicat lumen, pedibus vix fero me labatque
 23 poplite fluctuanti
 24 corpus. Omnis cura recessit, jocus atque risus
 25 accelerant, venustas
 26 et voluptas et Veneres et Charites decentes
 27 circumeunt frequentes,
 28 crasne vel tristi veniat lumine, vel secundo
 29 Jupiter haud laboro.
 30 Salva nobis ista dies est. Neque fata possunt
 31 quod semel est peractum
 32 ut sit infectum facere. Hoc posse Jovem negatur.

ODE

M2_11 v.1 Nihil audet, sibi qui conscius est non
 2 bene ; mentem pavor intus premit acer
 3 studiorumque malorum gravis urget cruciatque
 4 metanoea ac equitis terga volantis
 5 sequitur, nec cita quicquam fuga prodest.
 6 Rate nautam properantem per apertum tenet aequor,
 7 animum rodit edax vermis et angit
 8 neque noctu neque somnum die amicum
 9 capit, atqui vigilaci miser intus perit aestu.
 10 Mihi nec gemma, nec aurum, neque vestes,
 11 neque fasces, neque Regum diadema
 12 nec erunt grata, nec optanda sub hac condicione.

DE QVATVOR HOMINVM NOVISSIMIS

M2_12 v.1 Haec meditanda homini veniunt : mors linea rerum,
 2 iudicium, caelum, tartareaeque specus.

3 Quae quisquis memori secum mente usque retractat,
4 a multis studium rebus inane trahit.
5 Et facile eludens fallacis Daemonis artes,
6 spernit ad exemplum multa facitque Dei.
7 Nam quid ego aedificans alieno ex orbe columnas
8 per mare, per terras, in mea regna traham ?
9 Aut quid ego incrustem peregrino marmore muros
10 aut cupiam auratas stultus habere trabes ?
11 Ne contentus iis, aliena ex urbe requiram
12 diripiens propriis signa revulsa locis ?
13 Si medio ardentem mors importuna labore
14 avocat ac aliam cogit habere domum ?
15 Nil prosit, neque si vitam mihi longior aetas
16 proroget ornatu proderit illa suo.
17 Parva domus vilesque casae contemptaque tecta
18 non raro multum commoditatis habent.
19 Advocat invidiam luxusque et sumptus inanis,
20 quique facit, culpa vix fit, ut ille vacet.
21 Quam melius potuit positus in marmora nummis
22 maxima jejuna copia plebis ali ?
23 Turpe pati miseros, queis quis succurrere possit,
24 turpe domum fratri praeposuisse suo.
25 Frater enim meus est, quicumque redemptus eodem
26 sanguine divinae crevit ab arte manus.
27 Nec quod nudus eat, me purpura vestiat, illo
28 nobilior cultu mentis origo meae est.
29 Mors, si nil aliud, docet id, miseri atque beati
30 post mortem simili membra teguntur humo.
31 In septem porrecta pedes, non amplius, omnes
32 aequali spatio suscipit urna brevis.
33 Haec ego cum tacita mecum sub mente revolvo,
34 excidit ornandi corporis omnis amor.
35 Non placet alta domus, non tecta minantia caelo,
36 cum video quae sit summa futura domus.
37 Nam quae stultitia est, ita totam perdere vitam,
38 in tumultu cum sis, aedificare tamen ?
39 Lente surgit opus magnum, mors occupat et sic,
40 qui voluit magnam, nullam habet ille domum.
41 Respice jam toto surgentes vertice canos :
42 officii possunt te monuisse tui.
43 Vel si prima tibi roseas lanugine vestit
44 jam laeto veris tempore barba genas,
45 ulterius videas tibi quid promittere possis
46 quam mora sit vitae longa futura tuae.
47 Si qui ver dedit, aestatem promiserit atque
48 ex pacto si sit debita bruma tibi,
49 exstrue, tolle moras, vivoque palatia surgant
50 marmore, nulla tuum cura retardet opus.
51 Sed si nulla tibi promisit tempora, cujus
52 pendet ab arbitrio vitaque morsque sacro,
53 quid furis insano studio ? Quid montibus altis
54 accumulat montes ingeniosa manus ?
55 Marmoreos frustra fossis praecingere muros
56 niteris et positus turribus astra premis.
57 Tolle opus in caelum, ponatur ahenea porta,
58 omnia mors agili transilit una pede.

59 Mors vocat ad tumulum, tu stulte palatia curas ?
60 Urna fuit cineri jam facienda tuo.
61 Nil tamen id cures, urnam dat quilibet heres,
62 una tibi mentis sit modo cura tuae.
63 Corpus iners cinis est, cineris non tanta gerenda
64 cura : dabit terrae terra refossa locum.
65 Nam quod rite colit pietas suprema cadaver
66 nec damus alitibus corpus inane feris,
67 mens facit id, nostrae tanta est reverentia mentis,
68 corporis ex illa provenit omnis honos.
69 Scilicet hospitium veteris veneramur alumnae,
70 cujus ab aeterno est gloria tota Deo.
71 Hanc igitur, nostrae si cura est ulla salutis,
72 ornemus firma cum pietate fide.
73 Sic, cum summa dies supremaque luxerit hora,
74 illa petet patrios libera facta lares,
75 admittenda quidem, si non contraria legi
76 expunxit formas vita notasque sacras.
77 Justus enim Judex vindexque acerrimus idem
78 pensabit merito fasque nefasque suo.
79 Et quae quisque prius nullo sub teste peregit,
80 indicio fient omnia clara Dei.
81 Tum quos hic virtus tenebris evexit opacis
82 et claros fecit spesque fidesque et amor
83 et qui prudentes animo fortesque periculis
84 sponte sua placitis abstinuere bonis,
85 quamvis hic latuere diu, notissima fient
86 turba, nec obscurus vir bonus ullus erit.
87 Si quis in hospitium peregrinos duxerit, aut si
88 vestiit oblata corpora nuda toga :
89 seu miseros aluit, seu tristi carcere clausos
90 eduxit, fient haec benefacta palam.
91 Quos hic saepe vides ima de plebe jacere,
92 aequo animo morbos pauperiemque pati,
93 addictos morti falso pro crimine vulgo
94 despectos, alia est forma futura viris.
95 Et queis nulla gravis, quos nulla injuria laedit
96 qui vacuum invidiae crimine pectus habent,
97 nec Veneris sordes neque sunt peccata secuti,
98 exsurgent raris nomina clara bonis.
99 At quoscumque Venus rapuit vel foeda libido
100 illicito fecit se maculare toro,
101 aut quorum de caede manus undare coegit,
102 justorum gaudens ira cruore virum,
103 quamlibet hos magnis hic jam veneremur in aulis,
104 nil prosunt summo purpura opesve die.
105 Tunc quicumque premunt viduas inopesque videbunt
106 stare sibi spretos se potiore loco.
107 Quique suas ferro leges et jura tuetur,
108 cum populo simili lege Tyrannus erit.
109 Vis, fraus et magno sublata superbia fastu
110 cedet ad immensi judicis ora Dei.
111 Illa dies tollet levium discrimen honorum,
112 illa dies titulis auferet omne decus.
113 Rex sit an ex ima quisquam sit plebe, sacerdos,
114 pauper, an hunc ornet Pontificalis honos,

115 hoc tantum differt, quod in his, qui publica tractant
 116 munera, crimen erit qui levis error erat.
 117 Scilicet ut quisque est majori functus honore,
 118 sic debet vita clarior esse sua.
 119 Quisquis ad haec spectat, vitam formabit ad unguem
 120 et procul a turpi crimine semper erit.
 121 Omniaque istius periturae gaudia vitae
 122 postponet vero perpetuoque bono.
 123 Et quaecumque placent, animae contraria, carni,
 124 negliget exemplo, maxime Christe, tuo.
 125 Teque modo quocumque potest vitaque sequetur,
 126 illi vita, salus unica, solus eris.
 127 Te propter mortale domant jejunia corpus,
 128 te propter precibus noxque diesque sonant.
 129 Te propter dantur miseris alimenta Deusque
 130 tractare in membris exciperisque tuis.
 131 Te propter sacris lustrantur odoribus arae
 132 adque tuum nomen flectitur omne genu.
 133 Laus tibi concinitur soli, tibi dicitur hymnus
 134 et resonant titulis terra polusque tuis.
 135 Scilicet aeternae concedis gaudia vitae
 136 his, qui te studiis excoluere piis.
 137 Quisquis es huc alacris propera caelumque labore
 138 vince : venit parvo magna labore quies.
 139 Tolle leves procul hinc nugas umbrasque bonorum,
 140 et quae non durant gaudia, nulla puta.
 141 Quicquid in orbe potest nos delectare, caducum est,
 142 nec licet id veris adsimulare bonis.
 143 Es dives centumque trahis post terga clientes,
 144 deseruit magnos sors quoque saepe viros.
 145 Rex es ? Et ex alto turbavit culmine Reges.
 146 Sors tamen ut faveat, mors inimica rapit.
 147 Forma bonum fragile est, neque fortia membra, torique
 148 nervosi fugiunt spicula certa necis.
 149 Sic nihil est toto quicquam durabile mundo,
 150 utque fugax orbis gloria fumus abit.
 151 Spernite mortales fugientia, quaerite firma,
 152 non datur hic ulli certa manensve domus.
 153 Mundus hic hospitium est homini peregrinaque sedes,
 154 non licet hic longas continuare moras.
 155 Quisquis id agnoscit certe pereuntia, ut hospes,
 156 negliget haec patriae ductus amore suae.
 157 Ridebit studium vulgi, ridebit honores,
 158 et tantum patrias civis amabit opes.
 159 Quodque scit in caelis meritis dudum esse repostum
 160 hoc numquam in terris expetet ille decus.
 161 Et facile est sane, cum tanta futura sit illic
 162 gloria, tam nullum deseruisse bonum.
 163 Nam nec in humanos possunt descendere sensus,
 164 nec quam diu clausa est corpore, mente capi,
 165 quae Deus aetherea justis promisit in arce
 166 praemia, cultori distribuenda suo.
 167 Divitias, formam, imperium, vim, robur, honores,
 168 quicquid et in toto hoc orbe placere potest,
 169 accumula, nihil est, nam quod nec dicere possis,
 170 nec videas mentis lumine, majus erit,

171 solus enim Domini, qui conspicit omnia, vultus,
172 sola est perfecti causa futura boni.
173 Quem vidisse semel, vere est hoc esse beatum,
174 et nihil ulterius, qui videt, ille petit.
175 Divini plane vultus contentus honore,
176 nec furtiva rapit tam bona certa manus.
177 Nec quae continuis nectuntur saecula saeculis,
178 imminuunt quicquam, nec nocet ulla dies.
179 Hinc fit ut expleri nequeat mens nostra caducis,
180 seu quis opum levium, seu sit honoris amans.
181 Congere divitias quacumque ex parte petitas
182 et faciat titulis ultima terra modum,
183 mens alios quaeret mundos, aliisque repertis,
184 semper quaesitis ulteriora petet,
185 perfecto satianda bono, quod nacta quiescet,
186 si bene post mortem vita det acta polum.
187 Sed si culpa recens nulloque piata dolore
188 haereat, aeternos est aditura rogos.
189 Nam qui proposuit justis sua praemia factis,
190 criminibus poenas inferet ille suas.
191 Utque bonus Deus est, ita justum crede futurum,
192 junxit justitiam cum bonitate sua.
193 Si quaecumque placent animo sectaris avaro
194 et foedum invidiae pectore virus habes,
195 si placet illicitae Veneris damnosa voluptas,
196 si tua sit miseris dextera clausa viris,
197 frustra animo caelos et frustra sidera mente
198 concipis ; haec alia sunt adeunda via.
199 Si viduas judex pupillorumque relinquis
200 lites aut inopum non tuearis opes,
201 si pretio vendas contortaque jura ministros
202 lucro sique minus munere causa valet,
203 respice sulphureis ardentia tartara flammis,
204 quantaque post obitum crimina poena manet
205 et quae tu pretio solitus sis vendere jura,
206 post mortem frustra posse putabis emi.
207 Ille preces spernit judex pretiumque minasque,
208 jure tua est tantum causa tuenda suo.
209 Si quocumque rapit mentem furiosa tyrannis,
210 tu sequeris, regno et cuncta licere putes,
211 quamvis tota fere miretur terra triumphos
212 et tremat at leges axis uterque tuas,
213 falleris infelix, tua si peccata putabis
214 nominis immenso dissimulare modo.
215 Judicat et meritis Deus et non respicit ullos
216 ullius titulos imperiive decus.
217 Sed bene qui vixit patrio succedet Olympo,
218 qui male in infernos mergitur ille lacus.
219 Quo non ulla dies, quo non lux ulla venire
220 possit, in obscura nox manet alta specu,
221 horrendae densaeque ades insueteque tenebrae,
222 ingrata semper tartara nocte premunt.
223 Sublucent tantum cum nigro incendia fumo
224 et rapida in poenas flamma subinde micat.
225 Quamquam mille modi tormentorumque figurae
226 hic sontes lacerent discrucientque viros,

227 nil adeo horribile est aut lamentabile dictu,
 228 nullus in hoc tantus fingitur orbe dolor,
 229 qui queat ex minimo poenas aequare ferendas,
 230 quae, quibus hic fuerit vita scelesta, manent.
 231 Saxa, cruces, tormenta, rotas, quaecumque Tyranni
 232 ingenio possunt dira novare suo,
 233 umbras esse leves pictasque fatebere poenas,
 234 si cum tartareis composuisse velis.
 235 Principio Domini vultu facieque carendum est,
 236 quae veri sola est unica causa boni.
 237 Nam si quid Siculi durum invenerere Tyranni
 238 corporibus mentis crux ea major erit.
 239 Et damnatorum corrodet conscia Vermis
 240 pectora diversis conficietque modis.
 241 Tum nulla laxanda die tormenta sed omni
 242 aevo per species continuanda novas.
 243 Et quae non liceat versu comprehendere, quorum
 244 ad numerum Lybici cedat arena maris.
 245 Ut quoscumque nequit promissi maxima caeli
 246 gloria in officio continuisse suo,
 247 hos moveat timor istorum vitaeque nefandae
 248 supplicium et factis debita poena malis.
 249 Quae tacite quisquis secum meditanda resumit,
 250 ad bene vivendum non leve calcar habet.
 251 Nam quem non revocent ab iniquae tramite vitae
 252 indubitata bonis gloria, poena malis ?
 253 Iudiciumque Dei mortisque incertior hora,
 254 cum veniet, quovis certa futura loco ?

IN NEFARIAM GALLORVM CAEDEM

M2_13 v.1 O plebs furoris concita Panico
 2 ferventis oestro, jam patet omnibus
 3 quid fronte tam diu serena
 4 Gallica fraus, dolus et tyrannis
 5 velavit ; ipsis pignora spiculis
 6 parentum in ulnis turba nefaria
 7 nil tale discerpsit merentum,
 8 sanguis humi cerebrumque fluxit,
 9 nigrique passim pulveris et luti
 10 commixta turpi adspergine, civium.
 11 Sic decoloravere, foede
 12 strata, forum Aduaticum viasque,
 13 dum justa fortes ira domo sua
 14 armis Brabantos excitat aureis
 15 fraudem paratos vindicare
 16 Marte pari et simili furore ;
 17 ut nec fluentes sanguine fortium
 18 rivi moveret pectora filium,
 19 ibat per objectum cadaver
 20 impatiens pater et feroces
 21 mactabat hostes, inferias suis
 22 natis ducesque ex agmine Francico
 23 sternebat oblatos priores,
 24 cedere non docilis Tyranno.

25 Ille urbis extra moenia proxime
26 adstabat hortator timidus suis,
27 subire non ausus patentes
28 (mens vetuit male tuta) portas.
29 Matrona summis aedibus adspicit
30 certamen audax, quaque licet, juvat,
31 nimbumque saxorum fenestris
32 depluit inque equitum catervas
33 equosque volvit fortiter hosticos.
34 Quamquam tot intra milia militum
35 essent, tot extra urbem, et Tyranni
36 imperio irruerent superbi,
37 Galli minas Rhamnusia contudit
38 fregitque cristas ; ille fugit procul
39 implumis, attritoque rostro
40 abdere se latebris pudendis
41 frustra laborat, consequitur gravis
42 urgetque victor praecipitem : Deus
43 victoriam deditque et urbem
44 exitio eripuit parato.
45 Stupenda virtus ipsa sibi optima est
46 arx atque asylum. Militibus patent
47 portae hosticis, tamen recursum
48 impediunt : fugitiva namque
49 dum se receptant agmina et arctior
50 transmitters omnes porta simul nequit,
51 compressu in ipso concidere
52 nobilitas et inepta <item> plebs.
53 Et congregatis mox aliis super,
54 e civium caesis gladio et manu
55 obstructa porta erat, cadentum
56 aggerieque cadaverosa
57 exstructus agger, mox aditum et fugam
58 hosti vel intus vel foris impedit.
59 Superstetit civis fremensque
60 ad nova bella ciet morantes
61 fractosque Gallos : Ah ! Pudeat tui
62 te infame monstrum, sacrilegum, impium,
63 agnosce dextram vindicantis
64 prava Dei in crepero duello.
65 Quid cauta vulpes ? Quid scelerum interim
66 auctor ? Latebat, dum streperet tubae
67 clangor minacis et cadentum
68 Marte virum gemitus sonarent.
69 Ut certa civi risit adorea
70 victusque Francus strage vias sua
71 implevit omnes, advolabat
72 vectus equo generoso Achilles.
73 Laudatque cives et gladium manu
74 (tamquam paratus fundere pro focis
75 et civium foret salute
76 turpem animam scelerumque plenam)
77 vibrat minacem ; non gladius decet
78 imbellis pectus, sed radius magis
79 manusque vestali capillos
80 sub calamo variare doctas.

81 Scutum relinquo fortibus et viris
82 ad praeferendum vulnera strenuis,
83 Wilhelme, ferrum, tu sub umbra
84 pellicibus frui et cinaedis,
85 indigne terra, indigne foco aut aqua
86 imaginare hic pallia, quae tuo
87 vendas popello. Quo colore
88 hoc scelus inficies ? Tuone
89 jussu vocatus vir temerarius,
90 Nasi pudenti, saeviit impie
91 in civium turbam innocentum,
92 sanguis Alenonius suorum
93 dispar parentum ? Tuone rebellium
94 es concitator ? Voce satis, parum
95 manu timendus, namque ferrum
96 stringere te bonitas in hostem
97 toto duelli tempore, quo tuis
98 Belgis abusus sis, vetuit. Sapit
99 devota turba, quae modesto
100 arma viro removenda censeat.
101 Atqui nec illum pax juvat, omnia
102 tentare malit, sideribus solum
103 miscere Tartaroque manes
104 elicere Oceanoque monstra
105 quam vel Philippo cedere, quam semel
106 opinionis constituit sibi
107 errore ut hostem persequendum,
108 qualis agens aquilas columba,
109 partave justis condicionibus
110 aequisve tandem pace, quiescere,
111 quamquam scelestus esset impar
112 viribus Hesperii Philippi.
113 Sed fraude vincit fortis Orangius,
114 linguaeque vi mendacia consuens
115 pios et impios iisdem
116 foederibus sibi colligavit.
117 Longumque bellum cuderet impio.
118 Junctus Tyranno, sed vetuit Deus,
119 Belgisque sors fere sepultis
120 aequior exhibuitque in auras
121 fraudes latentes. Credite, credite,
122 cives, Philippo sub veteri quies
123 erit, Tyranno si relicto et
124 Principe Orangiaco, reditis.
125 Non ante templis religio patrum.
126 Non prisca nostris pectoribus fides
127 redibit et probata saepe
128 militiaeque domique virtus.
129 Non ante miles desinet urere
130 agros, colonos caedere, sanguine
131 implere fuso civitates,
132 et rapere omnia, fas nefasque,
133 non ante Francus terga dabit fugae
134 antiquus hostis atque domesticus
135 quam cum Philippo Rege foedus
136 Belgia conficiat vetustum.

137 Non ante aratrum terra ferat, boves
 138 non ante laetis credere pascuis
 139 ausit colonus, quam Philippi.
 140 Sub solito imperio quiescat.
 141 Infame Wilhelmi caput unius,
 142 et Aldegondi consilium impium
 143 cursum impedit pacis beatæ
 144 ut celeres remoræ carinas.
 145 Ultore ferro quis mihi demetat
 146 utrumque monstrum ? Quis gemina lue
 147 orbem diu obrutum et jacentem
 148 liberet Herculeo labore ?
 149 Pestemque tollat publicam et omnium
 150 causas malorum ? Quem Patriæ patrem
 151 prudens senatus consecrabit,
 152 vindicis et titulo decorum
 153 spectabit omnis Posteritas, equi
 154 laeva tenentem frena manu aenei,
 155 dextraque ferrum, quo Tyrannum
 156 concidit opprobriumque terræ ?
 157 Nec, si rapax injuria temporis
 158 aeris graves delerit imagines,
 159 exempla virtutis peribunt
 160 carminibus celebrata vivis.
 161 Virique nomen Posteritas anus
 162 loquetur usque et laude recens nova
 163 labore decerptum futuro
 164 fama decus reparabit aevo.

IOCVS

M2_14 v.1 Bonna sibi prima transcribit origine civem
 2 Meuchenium et Rhenus judicat esse suum.
 3 Nititur e contra flaventi Antverpia Schalde
 4 nobilis et juris disserit esse sui.
 5 His jacuit cunis (cunas ostendit) et, inquit,
 6 cui patria in dubio Meuchenii esse potest ?
 7 Balliolum accensum studio certaminis hujus
 8 subnixum certa se ratione putat :
 9 Ballioli summo noster fungatur honore,
 10 induat et longæ munus onusque togæ,
 11 augeat ut numero nostrum sic mente senatum.
 12 Ballioli uxorem sumpserit atque domum
 13 et dubii cuiquam juris queat esse videri
 14 Meuchenius ? Meus est legitimeque meus.
 15 Sed tamen ut Flandrum se perneget esse quid ad me ?
 16 Saltem Germanus, quod cupit, esse nequit.
 17 Vis cujus sit dicam ? Cunas Antverpia cujus
 18 ostendit, certe Kempiniensis erit.

AD MEUCHENIVM

M2_15 v.1 Florentis aulae nobilis assecla,
 2 quodcumque quamvis appetis occupes,

3 rebus tamen fidens secundis
 4 ne nimium, bone Meucheni, instes.
 5 Praesentis autem temporis anxias
 6 mittas querelas munifica manu,
 7 si te fovet Princeps opemque
 8 non negat in dubiis procellis,
 9 sat es beatus : non ea sors mihi
 10 nec invidenti non socero obtigit ;
 11 sed cum modestia fruare.
 12 Dura premunt ? Latita taceque.
 13 Secunda praesto sunt ? Fruere, utere,
 14 sed sic, ut hujus nobilis otii,
 15 princeps tuus quo te beavit,
 16 certa tibi ratio probetur.
 17 Nomenque vivo carmine consecres
 18 tui Patroni, militiae et domi
 19 nomen patris, si Dii favebunt,
 20 egregii facile assequentis.
 21 Sed maxime, quod si indomitam audeat
 22 Martis refrenare arte licentiam
 23 et disciplina militaris
 24 imperii titulos tueri.
 25 Id sive docto carmine dixeris,
 26 seu dissoluta legibus ansiis
 27 oratione pertonarum,
 28 non pretium exiguum rependes,
 29 ut vix apud me constet, uter magis
 30 sit obligatus, Principis an cliens
 31 favore pollens, an Princeps
 32 Pieriis celebratus odis.
 33 De peste si quod nobile concipis
 34 opus fuganda profer et optimi
 35 adscribe prima in fronte libri
 36 nomen et eulogium Patroni.
 37 Id seu Latino (quod magis approbem)
 38 sed seu Latino, seu mage Gallico
 39 sermone, Meucheni diserte,
 40 aggrediare, potens utroque,
 41 vulgare non est nec trivialiter
 42 tibi laboratum. Puto saepe nox
 43 elucubrantem deprehendit,
 44 posteritas quod amet probetque ;
 45 probabit autem prae reliquis Comes
 46 Aegmundus, hujus namque domum gravi
 47 morbo laborantem et relictam
 48 a reliquis medicis et acri
 49 jam peste vexatam, auxilio tuo
 50 praesens beasti, rebus ut unica
 51 jam perditis salus fuisse
 52 principibus videre utrisque.
 53 Sed hem ! quid hoc est, quod mihi Gallice
 54 Germanus ausit scribere ? Siccine
 55 sat monerat nobis Maronem,
 56 Maeonidemve referre doctos ?
 57 Nam docta sane sunt tua quae hactenus
 58 vidi Latine scripta, vel Attice,

59 si vena par tibi futura est
 60 Gallica, non video quid ultra
 61 Ronsardus hic desideret. Atqui ego
 62 aut fallor aut te Principis optimi
 63 formarit aula, vel tua uxor
 64 Gallica, et eloquio bearint
 65 novo disertum. Quicquid id est tamen
 66 quod barbara nunc lingua movet sono,
 67 o quadrilinguis Meucheni ede :
 68 nam Charites Veneresque tingent.
 69 Nec te Latinis nobilem et Atticis,
 70 forsán pigebit scribere barbáre,
 71 vates Amorum scripsit olim
 72 Caesareos Getice triumphos.
 73 Adde his quod uxor, quod Comes optima,
 74 Nymphaeque circum quas famulas habet,
 75 sunt Gallice doctae, haud Latine,
 76 Musa quibus tua jam laborat.
 77 Sed si nec omnes undique Gallicae
 78 flores loquelaē (nil vereor tamen)
 79 promptly assequare, lector aequus
 80 cur veniam neget Allemanno ?
 81 Jam cum Latinis Gallica juncta sint,
 82 doctis placere hic non nequit aureus
 83 tuus libellus. Ergo tandem
 84 prodeat auspiciis secundis.
 85 Neu sicut olim saepius obtigit
 86 promisso inani pasce tuos. Videns,
 87 vivensque sentiensque laude,
 88 euge, tua fruíere, ante mortem.

LIBER TERTIVS

BACCHVS

M3_1 v.1 Salve, sancte parens, animi explanator Iacche,
 2 qui tua pampinea tempora fronde ligas,
 3 cujus perpetua floret frons laeta juventa
 4 et facies aequat lilia mixta rosis
 5 et tamen indomitos superasti fortior Indos,
 6 sensit et in puero terra subacta Deum,
 7 nec juvenesque genae puerique simillima quicquam
 8 ora animi vires impediere tui.
 9 Unde tibi ditam decus hoc aequabile vultus,
 10 si non a proprio, Bacche, venire mero ?
 11 Unde ego te dicam tam magnum robur habere,
 12 pareat ut sceptris ultima terra tuis ?
 13 Numquid juvenis, ut magna potentia vini est,

14 adscribam totum muneribusque tuis ?
15 Sic habet. Haec animum pernicious evehit alis
16 vis vini et robur sufficit atque decus.
17 Hinc merito alatus tacitis es pictus Amyclis,
18 quem vinum, ut volucres pluma, levare solet.
19 Ille ab humo mentem liquor elevat ; ille jacentes
20 erigit et segnes excutit ille moras.
21 Hoc duce ad aeternos veniunt Heroes honores
22 et capiunt factis praemia digna suis ;
23 hoc duce victrices praecingit gloria crines,
24 imponens pressis laureaserta comis.
25 Illius in vino elucet miranda potestas
26 et plus quam in prima fronte recessus habet.
27 Hic mihi carmen erit rutulanti Phoebus ab axe
28 dum primum roseum sparget in orbe diem.
29 Nec laudem mea lingua meri viresque tacebit,
30 donec eat lassis in mare pronus equis.
31 Ad mensas hilaris cantabo metuque solutus
32 plenaque Graecorum pocula more bibam.
33 Innectensque caput sertis vinumque coronans
34 rite sacris solitis Orgia laeta colam.
35 Dumque mihi insueto cantatur carmine Bacchus
36 sacraque cornigeri non violanda Dei,
37 non equidem Aonias votis lassabo sorores,
38 nec trepido Musas ore precabor opem.
39 Sponte sua veniunt alternaque carmina dictant,
40 materia studium conciliante mihi.
41 Ite procul tetrici caperata fronte Catones,
42 nil mea vos curat pagina, vita minus.
43 Dum mihi purpurei Ganymedes pocula vini
44 fundat et ad cyathos addat amica rosas,
45 insani facile irridebo murmura vulgi
46 nullaque prorsus erit cura molesta mihi.
47 Nil mihi vobiscum est, discedite pectore luctus,
48 nilque mihi tecum, sobria turba, vale.
49 Mente nihil quicquam secura gratius usquam
50 a superis homini novimus esse datum.
51 Quid dabit hanc melius, quam puri pocula Lyaei
52 qui curis animos exonerare solet ?
53 Da mihi doctorum turbam, quid tristius illis,
54 qui procul a vino pectora semper habent ?
55 Caelorum varios cursus ac astra volutant,
56 articulis numerant signa notantque suis,
57 aspectusve malos, exurgentemve Cometam,
58 quaeque ligant vano sidera corda metu :
59 interea dubium pectus se distrahit et quae
60 judicat ex stellis esse futura timet.
61 Qui bibit, illorum studium ridebit inane
62 et sese contra muniet astra mero :
63 ut neque crinito quatiatur sidere quicquam,
64 nec timeat caeli mens generosa minas.
65 Mordebunt tacite quidam de plebe minuti
66 et dicent sani cordis habere parum
67 qui vino tribuam vires et comoda tanta,
68 fortius ut nihil hoc utiliusve putem ;
69 justius obtusi ridebo ego murmura vulgi,

70 et dicam prorsus cordis habere nihil
 71 quos lateat puri vis admiranda Falerni,
 72 digni queis mixta vappa bibatur aqua.
 73 Objiciat nobis titubantes hispida gressus
 74 turba, vel officii non meminisse manum,
 75 dum modo concedat nihil in nos juris habere,
 76 qui cruciat curis anxia corda, metum.
 77 Seque sinant stupidos justa ratione vocari
 78 obscuraque sciant pectora nocte tegi,
 79 qui Bacchi nequeant tantas cognoscere vires,
 80 cum fruimur facilis commoditate Dei.
 81 Ille favore genus nostrum studioque tuetur,
 82 et certam dubio tempore praestat opem.
 83 Cum primum Natura parens producit in orbem,
 84 protinus hinc illinc nos mala mille premunt,
 85 nam podagrae febresque graves aliaequae fatigant
 86 morborum species difficilesque modi,
 87 urgentes subeunt curae crescentibus annis
 88 atque malis vitae portio nulla vacat :
 89 ut dicant aliqui felices terque quaterque
 90 quos ipso in vitae limine Parca rapit,
 91 aut quos vitales mater non fudit in auras,
 92 ast imperfectum in ventre necavit onus.
 93 Ignari rerum, tamquam Natura relinquat,
 94 lumine quos isto fecit in orbe frui.
 95 Est levior sane semper noti metus hostis
 96 frausque fere gravius dissimulata nocet.
 97 Tutus erat Bacchus, sed quidam audaculus instat
 98 potor aquae et ructus objicit esse graves,
 99 rem foedam vomitus importunamque videri,
 100 et stupido vires elevat ore meri.
 101 Me tibi, quisquis is es, multum debere fatebor,
 102 materiam laudis sufficis ipse mihi ;
 103 exciderant animo vomitus prope commoda nostra,
 104 usque adeo immemorem copia magna facit.
 105 Quod vix per medicas industria perficit herbas,
 106 miscens audaci pharmaca dira manu,
 107 ut stomachum exoneret crudis humoribus ipsis,
 108 qui causae morbis saepius esse solent,
 109 an non post cyathos, vomitus felicius istud
 110 praestat et humorum corpora mole levat ?
 111 Ut taceam Phoebum non adspexisse Poetas,
 112 pura quibus liquidae pocula bibuntur aquae.
 113 Nam faciles Musae mensas vinumque sequentes,
 114 absque tuo possunt munere, Bacche, nihil.
 115 Tu dabis ingenium solus venamque fluentem,
 116 saepe soloecismum sobria lingua facit.
 117 Et quae jejuno calamo sunt scripta, carebunt,
 118 a vino ut valeas, verba lepore suo.
 119 Floruit a cyathis quondam vinosus Homerus,
 120 Ennius a poculis venit ad arma virum.
 121 I nunc et nobis oculos, abstemie, lippos
 122 objice vel dubios dic titubare pedes
 123 tentarique caput post pocula saepe dolore,
 124 per faciem foedas spargere vina notas,
 125 tamquam quae veniunt rarissima commoda vino,

126 ob nugas possent displicuisse leves.
 127 Cum nihil humano generi absque labore relinquunt
 128 Dii Superi, brevibus sunt bona digna malis.
 129 Et levior sane lippi mihi poena videtur,
 130 quam mea si studio mens agitetur opum.
 131 Et cupiam totis potius vale dicere ocellis,
 132 hospitium curis quam dare corde meo.
 133 Et placet insperso foedetur ut ulcere corpus
 134 quod maculet juvenes inficiatque genas,
 135 dum modo ego interius niveo candore nitescam
 136 nec tumeam furvis obstupeamve notis,
 137 tentarique caput post pocla gravedine malo,
 138 carnifices animum quam lacerare metus.
 139 Ambigui titubentne pedes gressusne vacillant,
 140 dum mea mens constet recta, laboro nihil.
 141 Aegro nam melius sanum cum corpore pectus,
 142 quam cum aegro sanum pectore corpus erit.
 143 Huc cuicumque placet curarum nescia vita
 144 (huc Bacchus faciles explicat arte vias)
 145 huc venias neque te pudeat servire potenti
 146 imperio et domini signa verenda sequi.
 147 Ecce triumphali Bromius procedit in auro
 148 umbravitque sacrum festa corona caput.
 149 Ante retroque frequens sunt turba Jocique Salesque,
 150 et claudit Domini laeta Juventa latus.
 151 Silenus facili dextra moderatur habenas
 152 et docta niveos arte gubernat equos.
 153 Pampineis circum pendent in vitibus uvae
 154 et manibus pressae dulcia musta vomunt.
 155 Mordax cura, gravis pestis, post terga catenis
 156 vincta manus, habiles ducitur ante rotas.
 157 Ipse sedens solio longe spectabilis aureo,
 158 fundit purpurei pocula larga meri.
 159 Turba sequens Domini currum reverenter adorat,
 160 Nescia praesentis turba beata mali.
 161 Quae dum, Bacche, mihi facilis bona commoda praestes
 162 ac ista facias utilitate frui ;
 163 ut neque praesenti pulsentur corda tumultu,
 164 nec moveat mentem cura molesta meam,
 165 me tibi devoveo certum fidumque ministrum
 166 et tua captivo pectore castra colo.
 167 Nec me nocte pudet media tua signa secutum
 168 exclusum rigidas ante jacere fores,
 169 et Dominae nomen saepe inclamare rosisque
 170 spargere divino limina trita pede.
 171 Quae si non audit miserandi carmen amantis,
 172 aut saltem audisse id dissimulare velit,
 173 vel quia cura nocet nimium studiosa parentum,
 174 nec sinit ad solitum sit via tuta locum,
 175 vel quia (quod nolim) rivalis forte receptus,
 176 non patitur nostras pondus habere preces,
 177 rursus ego ad vinum me vinosasque tabernas
 178 convertens, forti tempora fallo mero.
 179 Et quamquam mea sit tot scripta puella figuris.
 180 Aequatur cyathis littera summa meis ?
 181 Et licet absentis Dominae me tangat imago,

182 et teneant animum spesque metusque meum,
 183 nescio quae tacitam pertentent gaudia mentem,
 184 et faciant Dominae a parte timere nihil.
 185 Quae mihi saepe caput cumulavit docta corollis,
 186 aut rapuit capiti quas dedit ante meo.
 187 Verum ut te repetam, Divum dulcissime Iacche,
 188 quis numeris aequet te et tua dona suis ?
 189 Eloquium tribuis solus linguamque resolvis,
 190 quae modo jejuni vincta pudore fuit.
 191 Ante merum mutus, Cicerone Tricongius ipso
 192 orabit melius, cum sua pocla bibit.
 193 Haec eadem vini vis in me certa disertis est
 194 facundo ut possim protinus ore loqui.
 195 Per te pauperies levis et jucunda videtur,
 196 seque parem Codrus Regibus esse putat.
 197 Aufer avaritiam, vani aufer honoris amorem,
 198 ex tristi turpem pectore pelle metum,
 199 excutias animo maculas livoris acerbi,
 200 nec levium studio sollicitemur opum.
 201 Per te mens dubiis constet generosa periculis,
 202 nec moveant casu terra polusve suo.
 203 Bella premunt ; moderare gravis discrimina belli,
 204 absque tuis possunt viribus arma nihil.
 205 Solus enim inflammas animos roburque ministras,
 206 et facis audaces impavidasque manus.
 207 Tutaque amicitiae per te stent foedera nobis,
 208 et maneant nullo dissoluenda die.
 209 Imperii titulos libertatemque tuere
 210 et firma stabili corda ligata fide,
 211 Tu potis es Superum motas componere mentes,
 212 eripere irato fulmina sumpta Jovi.
 213 Sideris offensi fatalem avertere cladem,
 214 nam sine te Divis victima nulla placet.
 215 Detrahe fucatis animi velamen ocellis,
 216 possit ut ex ipsa mens bene fronte legi.
 217 Et faciles somnos tribuas noctesque quietas,
 218 corpus ut in dura ponere cogar humo.
 219 Pelle supervacuos humores, pelle nocentes,
 220 et vomitu releva corpora nostra tuo.
 221 Nec stomacho medicas miscebo sobrius herbas,
 222 nec fatuo invitus pocla sapore bibam.
 223 Adspirato decus dignum venamque fluentem
 224 ducenti faciles ex Helicone Deas.
 225 Haec etenim tua vis et sola potentia praestat,
 226 alterius nec in his, Bacche, requiris opem.
 227 O Natura potens ac admiranda Falerni !
 228 Quis tua te digno carmine facta canat ?
 229 Non ego Maeonidem Graecis nostrumve Latinis
 230 tanto oneri credam versibus esse pares.
 231 Ipse ego qui sperem divinos scribere honores
 232 rite, vel ex merito vim celebrare meri ?
 233 Barbarus extremis Morinum productus in oris,
 234 queis Latia est prorsus res peregrina chelis ?
 235 Agnosco melius sane quam dicere possim,
 236 quid valeant, quando vina Falerna bibo.
 237 Hic sum Romanus, mediis vel natus Athenis,

238 non est in gustu barbara lingua mihi.
 239 Et quamvis careant Morinorum vitibus agri,
 240 suaviter in<ve>cto vino aliunde fruor.
 241 Nam quod et Hispanis generosum montibus ortum est,
 242 et quod Graecorum terra beata tulit
 243 et quod vicinis Gallorum crescit in agris,
 244 quicquid et in Latiis collibus esse potest,
 245 mercator studio lucrandi adducit avarus,
 246 cogat ut immensas irrequietus opes,
 247 nam si vina placent Morinis Romana, vicissim
 248 barbara Romanum dant satis aera sonum.
 249 Quod puto non fieri certo sine numine Divum,
 250 ut passim Bromius potior esse queat.
 251 Romano Belgae mulcentur pectora vino,
 252 et Graece Morini dulcia musta bibunt.
 253 Et sic laeta placet vita et jucunda videtur,
 254 et quod nos cruciet prorsus habere nihil.
 255 Ite quibus colitur virtus solo ore, Catones,
 256 vende tuas pueris, sobria turba, nuces.
 257 Declama in potos, declama in vina Falerna
 258 et per te crescat sobrietatis honos,
 259 donec rauca tibi vox, arescente palato,
 260 destituat linguam deficiatque dies.
 261 Tu calicem, Vulcane, mihi compone capacem,
 262 nec circum docta sidera sculpe manu,
 263 nec bellum aut Graecis ardentia Pergama flammis,
 264 aut quae prima ratis per mare fecit iter,
 265 nec crudele genus Lapythas, nec monstra, nec Hydras
 266 adjice vel sacris fixa trophaea locis ;
 267 quid mihi cum caelo, vel cum surgentibus astris ?
 268 Aut quid amem docta sidera sculpta manu ?
 269 Quid mihi cum bello Trojanorumve ruina ?
 270 Aut rate, quae primum per mare fecit iter ?
 271 Nil mihi cum Lapythis, nil cum crudelibus armis,
 272 nil nova me moveant monstra, trophea nihil.
 273 Fecundas potius fac circum serpere vites
 274 et Charites mixtis fundere vina rosis.
 275 Et pedibus largum vas amplexetur Iacchus,
 276 propinans veteri vina bibenda cado :
 277 cura tamen potior sit lato hunc fingere ventre,
 278 ut capere hac factus plus ratione queat.
 279 Hoc nostrum studium, hic amor est, haec sola voluptas,
 280 haec animum recreat sola figura meum.
 281 I procul hinc, qui nostra fugis, cui turpe videtur
 282 mergere curarum pondera dura mero.
 283 Nos Bacchum et cyathos nos dulcia pocla sequemur,
 284 enecet invidia ut te tua, potor aquae.
 285 Atque coronati myrto cantabimus hymnos
 286 carminaque ignigenae grata futura Deo.
 287 I cuicumque placet, meditatis mane fatiga
 288 ne quicquam precibus Numina surda tuis,
 289 aque hoc divitias et ab illo poscite honores.
 290 Quo tua avarities ambitiove rapit,
 291 tantum ego fecundam Superos in vitibus uvam
 292 deprecor, haec voti est summa caputque mei.
 293 Nec gravis immodico carbunculus obruat aestu,

294 cum profert rupto cortice gemma caput,
 295 aut ne spem glacies frangat vinique futuras.
 296 Non exspectato frigore, perdat opes,
 297 aut ne producat pro laetis laesa racemis
 298 vitis capreolos et sine fruge comas
 299 id mihi si Divum contingat munere tantum,
 300 nil est quod votis amplius opto meis.
 301 Securus quo sceptrata cadant, quo bella ferantur,
 302 aut cui fatalis stella Cometa micet.

AD OLIVERIVM YMMELOTIVM

M3_2 v.1 Accipe queis Bacchum celebravi carmina, verum
 2 haec cupiam certa cum ratione legas.
 3 Cumque merum videas passim cyathosque probari,
 4 ne similes mores versibus esse putes,
 5 ebria si nobis est pagina, sobria vita est,
 6 dissidet auctoris moribus istud opus.

EPIGRAMMA

M3_3 v.1 Ebrius insanusque parum distare videntur,
 2 officio sensus hic caret, ille caret.
 3 Hic furit, ille furit, dedit hunc Natura furorem,
 4 quaeritur e potu sed furor ille mero.

AD DANIELEM FOSSARDVM

M3_4 v.1 Fossarde, quo me pollicitis tuis
 2 duces hiantem ? Jam poteris mihi
 3 contexuisse primo ab ovo
 4 Iliadem, vel adhuc vagantem
 5 heroa quassa Dulichium rate
 6 tandem paterno sistere litori,
 7 post tot labores et pericla et
 8 passa mari mala, passa terra.
 9 Hoc Pentateuchum scribere, quo mihi
 10 promissa differs tempore carmina,
 11 posses, librosque quos reliquit
 12 magnus Aristoteles Platoque.
 13 Absolve tandem, si quid habes, age,
 14 exprome carmen, quale graves morae
 15 merentur, expedi canoro
 16 cum strepitu numeros suaves ;
 17 invitat anni temperies lyram,
 18 ipsae volucres carmina concinunt
 19 grata sub umbra murmurantes
 20 arte rudi faciles susurros.
 21 Obgannit udo lympa fugax pede.
 22 Vicinus amnis qua fugiens suo
 23 amplexus errando refluxu
 24 prata rigat tenerosque flores.
 25 Cujus refuisis margine molliter

26 quae non Poetis carmine suggerant,
 27 prope assidentes vel sub ulmo,
 28 vel sterili platano Camenae ?
 29 Quid tu ? Tacebis ? Nec facies modum
 30 tam disparis, Fossarde, silentii ?
 31 Fidemne liberalis ? Anne
 32 frustra etiam haec mea te lacescent ?

BACCHVS CERVISARIVS

M3_5 v.1 Bacche, o vini sator, decus iuventae,
 2 o pulchrae Semeles Jovisque proles,
 3 omnes te colimus tuoque pleni
 4 frontem munere candidè explicamus.
 5 Nam tu laetitiae dator, bimater
 6 Iacche, Evie, quem Joci salesque
 7 ac venusta Venus Cupidinesque,
 8 ducem praecipuum fere sequuntur,
 9 viden' frigus iners geluque triste
 10 uvam finibus hisce pernegare ?
 11 Uvam, quae pedibus subacta, vinum
 12 spumanti vomet innatans lacuna ?
 13 Sic ut ebrietas honesta (si quae
 14 honesta ebrietas potest videri)
 15 defecta nimio tui liquoris
 16 sit futura nimis nimisque rara
 17 tota Flandria et insolens : superbe
 18 curis tristibus et gravi dolore
 19 occupantibus omnia, idque vini
 20 defectu ? Sed eheu ! Quis hoc videre,
 21 quis pati poterit genusque nostrum
 22 fructu subtrahat ebriositatis ?
 23 Divum munera eo magis magisque
 24 admiranda negare non queamus,
 25 quo se latius explicata pandunt,
 26 quotusquisque tamen meri fruatur
 27 dulci munere in crumena nummos
 28 large suppetit omnium datores ?
 29 Sic quos pauperies domi molestat
 30 et res arcta premit, necesse fructu
 31 excludas animi mero fluentis,
 32 qui curas abigit, fugat dolores.
 33 Sic ut pars hominum repente major
 34 curas pectore concoquat severas,
 35 solis divitibus domi beatis ?
 36 Sed quis, o bone Bacche, quis Deorum
 37 istud perpetiatur in Deorum
 38 ingens dedecus ? Ergo, sancte Bacche,
 39 cum bona venia tua licebit
 40 nobis, nos patrium sacrare Bacchum,
 41 sed Bacchum indigetem domique natum,
 42 maritum Cereris. Dabis pudentem
 43 hanc nobis veniam, Pater Lyaeae.
 44 Tu vinarius esto, primus esto,
 45 noster cervisiarius secundus.

46 Quod tu nectareo facis liquore
 47 id frumentitio liquore noster
 48 tam dextre efficiat, nihil molesta
 49 cura ut cervisia madens perurat
 50 pectus, sed Scythicis abacta ventis
 51 tristi pauperiem dolore solvat.
 52 Sed tu, Bacche prior, tamen manebis
 53 consueto solio, nec alter iste
 54 leges imperii tui lacesset.
 55 Unum propositum, una mens utrique
 56 curas eluere et graves dolores,
 57 largo gurgite, non laboriose.
 58 Certatim juvenes senesque adeste,
 59 clari divitiisque pauperesque,
 60 victis Boucheniis boni Philippi
 61 laetis auspiciis sacrum triumphum
 62 vino cervisiaque comprobate
 63 concordi studio parique lege.

AD LOYSAM

M3_6 v.1 Sed quid, Loysa o, quid tibi conferam,
 2 ut me vicissim mente, oculis feras,
 3 amesque ? Quid dabo, o Loysa,
 4 praesidiumque decusque nostrum ?
 5 Fidele firmis pectus amoribus
 6 mentemque nulla suppositam face,
 7 quam quae venit tuis ocellis
 8 et penitus mihi cor adurit,
 9 carmenque cujus munere Posteris
 10 nostros amores concelebrent. Gravis
 11 oblivio incumbit Poetis
 12 qui numeris caruere sanctis.
 13 Repit senectus invida gloriae,
 14 delet triumphos, marmora diruit :
 15 magni Philippi non manebit
 16 post cineres decus absque vate.
 17 O me beatum ter quater et magis,
 18 si quae Latino praedico carmine,
 19 tuis fluant futura grata
 20 auribus, o mea lux Loysa !
 21 O te beatam ter quater et magis,
 22 cujus Latino carmine gratias
 23 formamque virtutemque late
 24 praedico Posteritati amicae !
 25 Uterque nostrum vivet et invidi
 26 vitabit audax spicula temporis,
 27 cujus chelys nostra atque virtus
 28 sola aciem tua non timebit.

AD IOANNEM WECHSTENIVM

M3_7 v.1 Quid clausa in arcis congeries opum
 2 vestisque ter poto ebria murice

3 gentumque sub seris repostum
 4 quid mihi profuerit Falernum ?
 5 Statim philippos, ni fruor, occupat
 6 aerugo, nummus splendidus micat
 7 usu frequente subque terra
 8 terra situm reputatur aurum.
 9 Quid ? Ipsa vestis quo mihi serviat ?
 10 Aestate si non solibus arceat
 11 corpus diemque contrahente
 12 mox hyeme ab pluvia geluque ?
 13 Cellis acescunt vina diutius
 14 suppressa, si non tempore proferas,
 15 situque rancescunt, bibendo
 16 ni facias bona, Wechsteneie.
 17 Ridebit heres divitias sibi
 18 partas avarorum aut patrum aut patris
 19 sudore, curaque obvenire,
 20 veste meroque opibusque clarus.
 21 Laetaque promit mente sodalibus
 22 auro resultans nobile Caecubum,
 23 pallente patris umbra ad Orci
 24 ostia nigra laboriosi.
 25 Et ducta pulchram, pulchrior in domum
 26 conjug superbis vestibis et novo
 27 exulta luxu submonebit :
 28 Dum licet utere, cras relinques.
 29 Quis nos, amice, hic parcere suadeat
 30 his, quae parentum cura reliquerit
 31 nobis, susurrante hoc in aurem
 32 morte : Age, vive, statim venimus ?
 33 Compone large ligna super foco
 34 spumansque pleno gurgite candida
 35 vinum coronare, o Cypassi,
 36 vel cyatho hoc propera vel illo.
 37 Haec tota nobis festa venit dies
 38 agenda certe non sine risibus
 39 jocisque lusibusque castis,
 40 cum veteri socio atque amico.
 41 Quod ex relictis praecipimus bonis,
 42 hoc esse nostrum non male dixeris,
 43 quodcumque non tanges, futurum est
 44 alterius, bone Wechsteneie.

AD DANIELEM FOSSARDVM

M3_8 v.1 Scripsisti tandem fateor, Fossarde, sed ante
 2 saepe laccessitus commonitusque mihi.
 3 Ergo nisi prior ipse tibi misisset amicus
 4 carmen, polliciti non erat ulla fides ?
 5 Obticuisset olor pisces imitatus in unda,
 6 Stenvordae parco quae pede lambit agros ?
 7 Atqui tu simul ac nostros scrutatus amores,
 8 legisti flammae conscia signa meae,
 9 jurabas dignum me carmine, carmen et ipse
 10 pollicitus, levibus das tua verba Notis.

11 Credo pudore magis te respondisse coactum
 12 quam fidei motum relligione tuae.
 13 Icta canis latrat raucoque admurmurat ore,
 14 et si concutias dant duo tigna sonum.
 15 Si pulsent venti fluctus, clamore replentur
 16 litora, nec rupes pulsa nemusve tacent.
 17 Nil adeo mutum est et tu, Fossarde, taceres ?
 18 Dedecus et posses dissimulare tuum ?
 19 Atqui nec liber est, usta nec in aede papyrus,
 20 non ego nunc libros, ingeniose, peto.
 21 Absolvisse fidem poterant versus duo, dicto
 22 non nimium longo carmine "Chaire" mihi.
 23 Excusas vino promissa negasque teneri,
 24 si quid pollicita est lingua coacta mero.
 25 Imo ego sincerum nihil et nil judico firmum,
 26 quod non sit fultum munere, Bacche, tuo
 27 mentem aperit vinum, fraudes excludit, et audes
 28 perfidiae vinum tegmen habere tuae ?
 29 Si non desipias totus, Fossarde, cavebis
 30 Baccho tam foedas attribuisse notas.
 31 Ne fidei per te ruptae sit perfidus auctor,
 32 quo quid ego toto turpius orbe putem ?
 33 Sola fides hominum coetus conduxit in urbem,
 34 quae si nulla fides, nulla futura mihi est.
 35 Hanc Bacchus ? Nec te pudet hunc, Fossarde, sequutum,
 36 criminis indigni constituisse reum ?
 37 Praemonitus caveas, Baccho sua tela suaeque
 38 sunt vires, vindex nominis ille sui est,
 39 crura Deo offenso nodosa podagra secabit,
 40 perdet et officium pesque manusque suum.
 41 Tu numquamne Dei sensisti vindicis iram,
 42 quem vitiis audes praeposuisse tuis ?
 43 Si non falsa meam deludit opinio mentem
 44 offensi scis quid numinis ira valet.
 45 Alter enim tibi cur pes densior ? Admonet ille
 46 esse tibi irati tela cavenda Dei.
 47 Aut igitur posthac dulci ne falle Lyaeo
 48 promissi dubiam pollicitique fidem.
 49 Aut miser exspecta graviorem numinis iram,
 50 offendi numen non sine clade potest.
 51 Et tibi proponam diluti pocula vini,
 52 in cyathis ut sit pars tibi major aquae.

AD DANIELEM FOSSARDVM

M3_9 v.1 Causae poene nocent pedibus geminae, altera Iacchi est,
 2 cum secat inflatos dura podagra pedes.
 3 Altera debetur (ne spernas numen) Iobbo
 4 cujus praeteritis festa diebus erant.
 5 Iste quidem Veneris vindex ulciscitur ignes
 6 et spargit toto corpore saepe luem.
 7 Praecipue tamen in pedibus furit atque medullas
 8 infestat, tumidis saevit in inguinibus.
 9 Fama laborare est quemdam hoc, totoque valere
 10 corpore praetorem, sed male habere pedes.

11 Longos homo est, macer et canus, cognomine talis
 12 quale tibi nomen, caetera conjicias.
 13 Cum tu nec medicos cures servesue dictum,
 14 neve bibas ligni frustra resecta sacri,
 15 in dubio plane est Divorum obnoxius utri
 16 pro pedibus facias vota precesque tuis.

AD MORTEM

M3_10 v.1 Stringe tuam quacumque lubet, Mors impia, falcem,
 2 sed tantum a Domina contine avara manum.
 3 Tolle mihi vetulas et turpes tolle puellas,
 4 namque in formosis invidiosa venis.
 5 Tolle etiam pulchras, sed quae felice paternam
 6 instauraverunt fertilitate domum.
 7 Tolle etiam steriles, sed quarum rustica mens est,
 8 forma est ingenio deficiente minor.
 9 Neve immortales faciam, sine nubere tantum,
 10 effugiet casses femina nulla tuos.
 11 Sint stabiles quocumque loco, sed candida leges
 12 effugiat tantum nostra Loysa tuas.
 13 Quid tibi cum pulchris, o Mors insana, puellis ?
 14 Quid tibi cum Domina, Mors violenta, mea ?
 15 Tempus edax (nec erit mora longa) fluentibus annis,
 16 invidiae crimen diluet omne tibi.
 17 Et quae nunc humeris et celsae frontis honore
 18 clara, leves spargit post sua terga comas,
 19 tam rarum decus aetatis, quam rara cohaeret
 20 cum non vulgari forma pudicitia,
 21 si perit ante diem caecisque involvitur umbris,
 22 non levis invidiae est causa futura tibi.
 23 Carptim vita fluit, carptim consumitur aetas,
 24 tempore decrescit, tempore forma perit,
 25 parce novos flores properata excindere falce,
 26 et vix conspectas ne rape veris opes.
 27 Nam simul ac propiore agros sol usserit igne,
 28 nulla vi lapsis sponte cadent foliis.
 29 Quid tamen, o mea vita, vales, mea cura, Loysa,
 30 hesternusne tibi pallor in ore manet ?
 31 Sed tamen hoc poteras, cum te non iste teneret
 32 morbus, purpureas aequiparare rosas.
 33 Quid duo sideribus certantia lumina dicam
 34 unde suas reparat saepe Cupido faces.
 35 Consuetone vigore valent ? An languida morbo,
 36 viribus ac usu sunt spoliata suis ?
 37 Sed cur te febris tam longa, Loysa, lacessit ?
 38 Et lento exesis artubus igne furit ?
 39 Esse opus hoc dicam Nemesis, quae Diva superbos
 40 mentis conatus imperiosa premit.
 41 At quoties monui (quod te meminisse putarim)
 42 ne nimium formae dote superba fores ?
 43 Quando meas siccis lacrimas spectaret ocellis,
 44 qui rigor in pulchro corpore turpis erat.
 45 Disce tuo tandem mores mutare periculo
 46 et patiari meas pondus habere preces.

47 Sic tibi consueti depingant ora colores,
 48 nix cum puniceae mixta rubore rosae.
 49 Sic geminis redeat divinum lumen ocellis,
 50 quo toties in nos usa, Loysa, male es.
 51 Sic redeat per membra vigor, qualem ante tenebras,
 52 sic breviter redeat tota Loysa sibi.

AD LOYSAM AEGROTANTEM

M3_11 v.1 Cur tu, dura Loysa, meos contemnis amores
 2 et rides siccis me lacrimante genis ?
 3 Exegit Nemesis, quas non desidero, poenas,
 4 et formam feбри sustulit illa tibi.
 5 Sic ego, qui laetos agitabam mente Hymenaeos,
 6 scripsi pro thalamo poene tibi tumulum.

AD FRANCISCVM MOSCHVM

M3_12 v.1 Lepida huc adesto Musa,
 2 Jovis optimi alma proles,
 3 Clytio a malo Poeta
 4 facile omnium Poetam
 5 corypheum adito Moschum.
 6 Bene si valet, valere et
 7 Clytio bene esse dicas,
 8 bene cetera esse, id unum
 9 Clytium mali experiri,
 10 quod abest ab his labellis,
 11 quibus insidet suada
 12 teneri ligans corollis
 13 violis rosisque mixtis
 14 triplici velut catena
 15 animos meos et aures.
 16 Ita habet profecto ab illo,
 17 Aganippis o puella
 18 mihi quo die explicavit
 19 animi sui nitorem
 20 nive candida et ligustris
 21 mage candidum et venustum.
 22 Animum potente philtro
 23 mihi vinciens et aures
 24 ita Moschus occupavit,
 25 leve ut usque murmurillum
 26 placide insonare in aures
 27 videatur ; hoc ab ore
 28 ego pendeam diserto,
 29 ubi Phoebus explicabit
 30 radios in orbe, ab orbe
 31 radios ubi reducet.
 32 Mihi si liceret umquam
 33 Patriam meam et Penates
 34 variare nulla sedes
 35 Clytium hospitem videret,
 36 nisi quae potente Moschum

37 resonantem haberet ore.
 38 Tamen interim disertis
 39 bonus ille dum moratur
 40 numeris fluenta Lysae
 41 placidi, ut canorus Orpheus,
 42 mea me tenebit Hypra.
 43 Quod iter duabus horis
 44 equiti patere possit.
 45 Poterunt nigris aratae
 46 notulis vices subire
 47 tabulae et mihi salutem
 48 dare et hinc referre ad illum.
 49 Utinam liceret istis
 50 notulis notare mentem,
 51 et in intimo recessu
 52 animi quod est repostum
 53 nivea explicare charta.
 54 Animum quidem videres
 55 tibi deditum tuisque,
 56 generose Mosche, sed si
 57 quid habet Poeta veri,
 58 mihi verum id esse credas
 59 Clytium tuum esse totum
 60 Clytium tuum et tuorum.

AD IOANNEM WEGHSTENIVM

M3_13 v.1 Si valeant, Wechstene, pedesve natesve, venito,
 2 his eques aut illis huc, age, perge pedes.
 3 Gratus eris nobis, ut qui gratissimus, hospes ;
 4 tolle moras, lucet jam focus igne tibi.
 5 Cellis vina invita latent, optare putares
 6 hospitis adventu deseruisse cados.
 7 Sive petis vicina mihi quae Gallia mittit,
 8 Baccho non mixta mensa rudebit aqua.
 9 Seu cupis indomiti quae sunt prope flumina Rheni
 10 nata, putes Rhenum fundere vina tibi,
 11 mascula sive placent Hispanis montibus orta,
 12 dices vel cerebro iudice mane valent.
 13 Sive tuus Bacchus tibi gratior esse videtur,
 14 vel Cererem credes apposuisse manum.
 15 Fercula non referam nec lauto digna palato,
 16 quaeque tuam possent plura movere gulam.
 17 Hoc solum adjiciam violas ridere rosasque
 18 Quaeque tuum cingent florea sarta caput,
 19 teque domum totam sic exspectare, maritum
 20 ut prima cupidum nocte puella solet.
 21 Si valeant, Wechstene, pedesve natesve, venito,
 22 his eques aut illis huc, age, perge pedes,
 23 nil equiti pedibus sanis opus, ut quoque rursus
 24 nil opus est natibus, qui pede carpit iter.
 25 Posterior sed causa pedes afflixit eundo,
 26 attrivit teneras altera causa nates.
 27 Ah ! miserum nimis est. Sed dic expertus utrumque,
 28 dic, ultra melius parte carere potes.

29 Si quo te ducit Virtus studiumque probique
 30 mores, eveniat, Praesul ut esse velis,
 31 praestat habere nates tritas, nam caetera laesus
 32 non bene fungeris Praesulis officio.
 33 Sed si nec Salios, nec curas sacra Gradivi,
 34 tum damna in pedibus sint leviora tuis.
 35 Quis tamen es visus tibi, tu qualisve fuisse,
 36 sternacis tergo cum vehereris equi ?
 37 An vir mixtus equo veterum prope Centaurorum
 38 more ? Sed hinc miror te doluisse nates.
 39 Si quis equo tamquam visco connexus adhaeret
 40 succussu ventrem, nec dolet ille nates.
 41 Si valeant, Wechstene, pedesve natesve, venito
 42 his eques aut illis huc, age, perge pedes.
 43 Gratus eris nobis, ut qui gratissimus, hospes :
 44 tolle moras, lucet jam focus igne tibi.

AD OLIVERIVM YMMELOTVM

M3_14 v.1 Secura mens est si mihi, si tibi,
 2 statusque constans interior, quid est
 3 boni quod a Diis appetamus
 4 ulterius dubii et paventes ?
 5 Paterna amantes praedia nec graves
 6 fascas stupemus, nec studium aut leves
 7 venamur auras, insolentem
 8 aut stupidi populi favorem.
 9 Collega mecum curriculo annuo
 10 cives et urbem si moderatus es,
 11 invito onus datum est utrique et
 12 imperium in populum rebellem.
 13 Seras sub umbras certe ego mavelim
 14 inversum aratrum cernere languidos
 15 boves trahentes atque pastu
 16 uberibus tumidis gravatas
 17 videre vaccas, dum redeunt domum,
 18 quam destinatum supplicio reum
 19 sententia damnare justa
 20 vel cruce vel gladio vel igne,
 21 aut commeatus militibus domi
 22 forisque dispertire, licentia
 23 grassante passim et saeviente
 24 caede, latrocinio et rapinis.
 25 Et haec videre o possumus aut pati ?
 26 Nec civitatem deserimus gravem
 27 incommodamque et occupatam
 28 praesidio ? Neque rus amoenum
 29 caelumque apertum consequimur ? Pudet
 30 vitae peractaene, an mage perditae
 31 in urbe, dicam ? Certe ineptae et
 32 illepidae et miserae et molestae.
 33 Esto. Sit illic copia ditior
 34 exoticarum aut uberior seges
 35 rerum, si illic quicquid Indus,
 36 Quicquid Arabs habet aestuosus.

37 Hic horna tantum vina, sine ambitu
 38 et munda semper sit Ceres ac apum
 39 favi suaves : nil petendum
 40 ulterius nisi mens quieta.
 41 Hanc non odores, non peregre lapis
 42 vectus dabit, non purpura, non tibi
 43 fasces dabunt fastidiosi.
 44 Vita beata habet hanc amoeni
 45 ruris. Valetate o urbibus anxiae
 46 curae imperantes et tituli et decus
 47 latique clavi, namque ruris
 48 otia nos sequimur beati.
 49 Tandem reversuri simul atque Pax
 50 et jus relictis oppida coeperint
 51 agris frequentare, oppidisque
 52 invidia et scelus exsulare.

AD ANTONIVM MEIERVM

M3_15 v.1 Qualis mariti Penelope moras
 2 absentis atque ingrata silentia
 3 immota uti rupes tulit vel
 4 quercus in aereo Atlante ;
 5 nos has marinis fluctibus intonans
 6 vis atque tempestas pepulit loco,
 7 aut Aeolus laxans habenas
 8 vel Boreae vel Apeliotae ;
 9 illam procorum turba frequentium
 10 frustra sequuntur namque fidem viro
 11 invicta servat nec movetur
 12 vel prece vel pretio minisve :
 13 sit tale nostrum, docte silentium,
 14 Antoni, ut illud mutua foedera
 15 numquam resolvat, quae Sororum
 16 icta novem auspicio veremur.
 17 Privata nec te publica me neque
 18 divellet umquam his officiis, licet
 19 utrumque cura morsu acerbo
 20 excruciet misereque stringat.
 21 Numquam revulsus de penetralibus
 22 mentisque nostrae Mejerus exsulet
 23 fido recessu, nec vicissim
 24 Mejerii Clytius remotus
 25 a corde cedat, mutua sed fides
 26 utrumque utrique adstringat aheneo,
 27 quod nulla dissolvat senectus,
 28 Federe, Parca quod una rumpat.
 29 Laudant vetusti Pirithoum, ut cui
 30 comes fidelis Theseus haeserit,
 31 obscura quos non segregarunt
 32 ostia nil miserantis Orci.
 33 Caelo recepti Tyndaridae micant,
 34 amore fratres conspicui et fide,
 35 viventque Pollux atque Castor
 36 ignea dum feret astra caelum.

37 Nobis quis aequus deneget arbiter
 38 locum inter istos, cum similes liget
 39 concordia et vis sancta veri
 40 Mejerium Clytiumque amoris.
 41 Hoc noster autem pulchrior est amor,
 42 vidisse quod non contigit alteri
 43 vultus amici imaginemque
 44 alterius, generosa virtus ;
 45 sed una junxit glutine fortius
 46 utrimque mores atque animos pares,
 47 quos nulla divellat simultas,
 48 nulla dies aliquando solvat.
 49 Bis o beatos ! O ter et amplius !
 50 Nexu fideli copula quos tenet,
 51 quam multa devorant molestae in
 52 commoda dura et acerba vitae.

AD LUDOICVM FLAMINIVM

M3_16 v.1 Natale quamvis alliciat solum
 2 amore cunctos, ut rigidi Getae
 3 hortis inhospitam horridamque
 4 anteferant patriam Latinis ;
 5 quamvis nivosis Lappones in jugis
 6 caecisque Moschi sub nemorum comis
 7 palpabiles malint tenebras
 8 frigoribus pluviisque mixtas
 9 quam suave olentes Hesperiae locos
 10 aptique silvis pergulam Adonidis ;
 11 Hypras tamen tuas relinquis
 12 et patrias, Lodoice, sedes.
 13 Exsulque spernens et veteres lares
 14 et te vocantis munia Patriae,
 15 conterminos Afris Iberos
 16 rursus adis refugisque Mauris.
 17 Non absque certo iudicio tamen
 18 mutare sedes te puto pristinas,
 19 quas dividit turbatque Alecto et
 20 Tisiphone atque furens Megaera.
 21 Florebat olim Flandria ut unica
 22 Phoenix, ut inter Luna faces minus
 23 circummicantes, gemma ut auro
 24 clausa nitet solido, unione.
 25 Sed nulla certa stat facies diu
 26 rebusque cunctis exitus imminet :
 27 quae nunc vigent, statim jacebunt,
 28 quaeque jacent, iterum resurgent.
 29 Tu praepotentis dum rota volvitur
 30 sortis, furores effuge Panicos,
 31 quocumque sub caelo beatus,
 32 et procul a Patriae ruinis.
 33 Rebusque serva te melioribus,
 34 dum nos vocanti (si qua tamen subest
 35 spes) parte pro nostra virili
 36 adsumus auxilio et juvamus.

37 Nil te morabor. Sed precor hoc modo
 38 apeliotes qui tibi lintea
 39 secundus implet, ne per auras
 40 quae fidei, Lodoice, credo
 41 tuae, per amplum dum properas mare,
 42 jactata ventis differat : at memor
 43 si quid potes (potesque multum)
 44 sis Clytiii et Clytiii Loysae.

IN DISCESSVM IACOBI CANIS

M3_17 v.1 Ergo relinques nos, Iacobe ? Nos
 2 ergo relinques ? Quos toties tuo
 3 in arduis rebus salubri
 4 consilio et facili expedisti ?
 5 Nam te loquente et pectoris abditos
 6 promente, cum res posceret aut locus,
 7 sensus, fluentes ore voces
 8 attonitum bibit aure vulgus.
 9 Nec sola vulgi pectora permoves
 10 oratione ac eloquio aureo,
 11 sed et quibus sinistra rite
 12 mamma salit, tua verba ducunt.
 13 Me, quem sororum turba novem procul
 14 vulgo removit, qui populi graves
 15 contemno fastus et favores
 16 his memini veluti catenis
 17 fuisse tractum. Nam ratio licet
 18 per se ipsa menti mirificam inserit
 19 vim, plus tamen fere disertis
 20 ore viri valet explicata.
 21 Sed jam relinquis nos, Iacobe, sed
 22 jam nos relinquis, quoque vocat Ducis
 23 favor jubentis, expeditus
 24 approperas, neque nos moramur
 25 aulam sequentem Principis et tui
 26 castra et favores, i pede prospero,
 27 sed sic fruaris, ut libenter,
 28 si repetat sua Fors, relinquis,
 29 hereditatem neu stabilem putes
 30 ducum favorem. Nam procerum favor
 31 nutat velut quassata ventis,
 32 aut Zephyro aut Aquilone arundo.
 33 Tu castra magni Regis et incluti
 34 Judex Philippi solus et unicus
 35 (incumbit ista cura soli)
 36 imperio moderaris aequo.
 37 Ergo merentes supplicio reos
 38 justo coerce, praemia fortibus
 39 justisque solve ; lex ut aequi
 40 postulat, ut ratio ipsa dictat.
 41 Istud professus, munus ut arduum
 42 promittis, et quod vix ego, vix quibus
 43 mens recta stat, sperare saltem
 44 possumus. Usque adeo videmus

45 jacere leges, militibus domi
46 forisque turpi paene licentia
47 sic dissolutis, disciplinae
48 imperium modo militaris
49 ut omne cesset, Belgio et exsulet.
50 Sic miles audax, quod lubuit, rapit,
51 impunitate peruasa
52 nempe latrocinio et rapinis.
53 Non imperator sic Carolus gravi
54 Gallum subegit terribilem impetum
55 aut Saxonem aut Hessum superbum,
56 aut celerem Numidam cecidit
57 sed innocentes militibus manus
58 tum credidisses, legibus integris
59 sub Caesare impias rapinas
60 et gladio et cruce persequente.
61 Illic vel ovum surripuisse, vel
62 pullos oberrantes capitale erat,
63 tum disciplina militaris
64 firma erat obsequio metuque
65 poenae. Sed o fas ! O scelus ! O nefas !
66 Monstri quid hoc est ? Omnibus omnia
67 licent, simul nomen dedere
68 militiae illicitoque Marti
69 magnus sed alto Juppiter aethere,
70 dum dissolutos ordine milites
71 despectat atque fas jacere
72 sub pedibus videt, insolentes
73 hostes, Philippi caedere milites
74 excivit et vim non solitam indidit,
75 ut qui prius fere solebant
76 aut fugere aut latitare vallis,
77 prodire in auras intrepide audeant
78 urbesque castris cingere regias.
79 Sic Breda subrepta est et Hulsta,
80 sic periit Neomagus et sic
81 quacumque cepit mensibus a decem
82 hostis protervus dum Frisios agros
83 percursat et jugo subegit
84 quos prius attonitus timebat.
85 Erepta sic Zuthphania nobilis,
86 erepta sic Daventria, nec puto
87 cessabit hostis donec ordo
88 te duce res melior sequatur.
89 Delegit huc te provida Principis
90 mens, tute spartam, sit licet ardua,
91 quam nactus orna, tu colonos
92 pace frui facias et urbes.
93 Fruentur autem Justitiae modo
94 numen resurgat, quod petulantium
95 coerceat manus latronum
96 oppida qui spoliant agrosque.
97 Voco latrones, qui neque militum
98 nomen merentur, sed gladios gerunt
99 in civium certam suorum
100 perniciem opprobriumque Martis.

101 Domi Trasones atque licentia
 102 ipsa feroces, sed simul hostium
 103 vultus minaces institere,
 104 omnis abit furor atque Virtus.
 105 Atqui hic decebat stringere, quod domi
 106 latere ferrum debuit, hic erat
 107 desaeviendum, dum frementes.
 108 Arma tubae lituique clangunt
 109 si prisca virtus quaeritur et vigor,
 110 quibus triumphos tot peperit prius
 111 Parmensis Heros, disciplinam
 112 ad veterem revoca maniplos.
 113 Sic Marte rursus Belgia floreat,
 114 rursus rebelles arripiant fugam,
 115 rursus Philippi Regis arma
 116 auspiciis volitent secundis.
 117 Intende nervos huc, Iacobe, et hic
 118 regi ut Philippo sic patriae tuae
 119 (cum sit Deo visum ducique)
 120 affer opem auxiliumque porge.
 121 Quocumque vero constiteris loco,
 122 seu te juvabit fertile Francia
 123 solum feracis seu beatae
 124 Arthesiae Hannoniaeque colles,
 125 Hyprensium urbis sis memor et loci
 126 primos honores qui tibi detulit,
 127 ut hinc gradatim ad summa eunti
 128 sit facilis via et expedita.

AD CAROLVM DE FONTAINE

M3_18 v.1 Cum primum croceo consurgens Phoebus ab ortu
 2 emicat et radiorum ardentes lumine vultus
 3 exserit, obscurae fugiunt densaeque tenebrae.
 4 Egregio curru, nota regione triumphans
 5 invehitur late victor, sed subdita quod si
 6 forte palus flammis Divini sideris acres
 7 excipiat, subito crassi taetrique vapores
 8 prosiliunt radiis attracti densaque nubes
 9 exoritur nigro obducens velamine Solem.
 10 Ille latet radiisque ipsis diverberat atras
 11 saepius incumbens nebulas tandemque soluta
 12 in pluviam cedit nubes lacrimisque videtur
 13 conatus vanos plorare atque irrita coepta
 14 pulchrius interea caput explicat auricomus Sol
 15 seque triumphatis nebulis formosior effert
 16 consueto facibusque orbis fulgentibus ornat,
 17 quadrijugo exultans in curru victor ovansque :
 18 sic habet Invidiae labes ; virtutibus obstat
 19 quae, Perroye, tuis urget pugnatque premitque,
 20 non tamen expugnat, non opprimit illa latentem
 21 invictae mentis vim, sed quae cura remordet
 22 invidia prognata animum, ut <gladii> aspera ferrum,
 23 exacuet pectus, Virtus se clarior inde
 24 attollet tua quae Phoebi radiantis ad instar

25 invidiam superans, obstantia nubila solvet.

LIBER QUARTUS

DOLET ABSENTAM AMICAM

M4_1 v.1 Ite, leves Elegi, quondam mea cura, valete,
 2 non ego, jam vobis utar, ut ante, magis.
 3 Ite, alium posthac desertae quaerite vatem,
 4 non facit ad lacrimas carmen inane meas.
 5 Nec vacat ad fontes teneras deducere Musas,
 6 postquam sollicito est perdita vita mihi.
 7 Illa habet ingenium secum tantumque relictum est
 8 umbra domi, potior pars mei ab urbe procul.
 9 Corpus in urbe manet, placidis mens errat in agris
 10 venturae et Dominae florea sarta parat.
 11 Sarta placent Dominae vivos imitata colores,
 12 candida cum rubeis lilia mixta rosis.
 13 Purpurei flores Dominae sunt aemula labris
 14 signa, labris quae sunt tam bene pressa meis.
 15 Sed qui, vos etiam tam candida lilia finxit,
 16 exemplum a Domina sumpserit ille mea.
 17 Viderat ille equidem nive candidiora recenti
 18 aut colla aut digitos, flava Loysa, tuos.
 19 Floris gratus odor rosei gratissimus usque est
 20 oris odor nobis, pulchra Loysa, tui.
 21 Quam bene convenient Dominae, cum pulchra decenti
 22 imponet capiti sarta rosasque manu ?
 23 Sed quid stultus ago ? Nimium distamus ab illa,
 24 et mentem variis ludit imago modis.
 25 O Superi (si quid vos tangunt vota precesque)
 26 jam tandem lacrimis sit modus, oro, meis.
 27 Vel si nec modus est lacrimis, nec murmure flecti
 28 vos sinitis, vitae sit modus, oro, meae.
 29 Vivere namque mihi Domina sine, vivere non est.
 30 Illa mihi vitae est unica causa meae.
 31 Praesentem facias, nihil in me fata valebunt,
 32 absit, opem mihi nec Juppiter ipse ferat.
 33 Id satis expertus nuper, quando illa reversa
 34 restituit vires ingeniumque mihi.
 35 Mors prope nigranti caput hoc immerserat Orco
 36 curaque erat tumuli jam quasi facta mei,
 37 causa mali morbus morbique absentia nostrae
 38 longa fuit Dominae, tam gravis illa mihi est.
 39 Signaram tabulis mentem supremaque verba
 40 condideram chartis firma futura suis.
 41 Ecce venit, quae causa mali tantique doloris
 42 ante erat, et vita est facta salusque mihi.
 43 Nam simul ac conspecta mihi est oculisque tenebras

44 discussit circum perniciemque mihi,
 45 illicet, infernis tamquam revocatus ab undis,
 46 disjeci mortis proxima tela mihi.
 47 Et mea venisti tandem, mea sola voluptas ?
 48 inquam, jam vitae es causa secunda meae.
 49 Nec mora vis membris animoque est addita virtus,
 50 quae nunc, ecce, novis <jam> prope mersa malis.
 51 Sed vos, o Superi, si non haec ultima vitae
 52 tempora sunt, vitae me date quaeso meae.
 53 At si nostra dies dudum praefixa reluxit
 54 et mergi infernis debeo maestus aquis,
 55 illa, precor, vivat felix, non immemor umquam
 56 nostri et quam fuerim fidus ubique sciat.
 57 Et cum mens abiit parsque haec imposta sepulchro est,
 58 signentur magnis carmina bina notis :
 59 Qui jacet hic, primae discessit flore juventae,
 60 absentis Dominae non tulit ille moram.

DE FAVSTA

M4_2 v.1 Purpureas decerpe rosas sertumque parato,
 2 ac indiluti pocula funde meri.
 3 Festa dies agitur nobis, puer, et mihi lux haec
 4 plena jubet Graeco pocula more capi.
 5 Funde semel Dominae, rursus mihi funde Falernum,
 6 Caecuba jam certe vina bibisse decet.
 7 Sint tristes alii, laeto nos tempora serto
 8 cinximus et sat erit dedoluisse semel.
 9 Ite procul, tristes curae, procul ite, dolores,
 10 omnia cum Domina sint mihi laeta mea.
 11 Fallor ? An his oculis video te ? Fallor ? An umbra
 12 eludes digitos, Fausta proterva, meos.
 13 Certe ego video, teneo te, certe ego jungo
 14 oscula divinis semiadaperta labris.
 15 Sit quod ament aliis argentum, gemma vel aurum,
 16 dum mihi sit Dominae copia grata meae.
 17 Quaerit inops mercator opes terraque marique
 18 et saepe in mediis naufragus errat aquis.
 19 Oscula nos petimus Dominae, nec flamma, nec unda,
 20 oscula quando peto, possit obesse mihi.
 21 Viderit in medio jactantem brachia Ponto
 22 adspectu vires mox dabit illa suo.
 23 Multa lubens patior, sed cum dedit oscula nobis,
 24 commoda tum damnis sunt potiora meis.
 25 O quam gratus odor venit hinc ? Quam lene susurrum
 26 audio ? Vix animam contineo ipse meam.
 27 Gestat abire quidem veteresque relinquere sedes,
 28 et sinerem Dominae commoditate frui.
 29 Sed vereor nimium postquam secesserit illuc,
 30 umquam non velit haec inde redire domum.
 31 Tunc ego deserto remanerem truncus in antro
 32 nec Dominae possem junctus abire meae.
 33 Vos tamen, o Superi, precor haec sit summa laborum
 34 meta mihi, haec facilis mors mihi semper erit,
 35 ut mihi suprema exhalatus spiritus aura,

36 vivat cum Domina molliter usque mea.

IN MORTEM MERLINI CAPELLI

M4_3 v.1 Merlinus, Dominae suae
 2 quondam deliciae et joci,
 3 festina periit nece,
 4 hospes flebilis Orci.
 5 Qui quondam Dominae comes
 6 fidus per violaria
 7 distinctosque rosariis
 8 hortos ire solebat,
 9 nunc (heu !) tristis inhospita
 10 Cocyti timide vada
 11 tristis umbra migrantibus
 12 ripis sulphure et igne
 13 horret atque natantia
 14 rictu informia pallido
 15 monstra conspiciens timet
 16 rursus morte perire.
 17 Peristi simul et semel,
 18 Merline o, Dominae tuae
 19 quondam deliciae et joci.
 20 Non te fata secunda
 21 o Merline, manent, nihil
 22 timendum ulterius tibi.
 23 Tutus qui semel occidit
 24 ridet tristia fata
 25 ne Merline time aut treme,
 26 non te Cerberus, ut triceps
 27 diducat triplices hians
 28 laxae beluae fauces
 29 continget. Dominae tamen
 30 si desiderio tuae,
 31 o catelle, teneberis,
 32 (ut, Merline, teneris)
 33 multis cursibus, ut soles,
 34 et recursibus in viam
 35 tete conjice, dum nemus
 36 adsequaris amantum.
 37 Et quamvis tibi tu satis
 38 sapis, corporea semel
 39 mole exutus, et impiger
 40 possis naris odorae
 41 vi discernere ab impiis
 42 felices animas, tamen
 43 ne oberres nimium diu,
 44 certa haec accipe signa :
 45 videbis placidum et rosis
 46 distinctum et violis nemus,
 47 et fontem vitreum rosis
 48 distinctum violisque.
 49 Sedebunt animae piae,
 50 locis conspicuae herbis,
 51 pares cum paribus pios

52 decantando calores.
53 Illic Lesbia cum suo
54 Catullo unanimis sedet,
55 Neaeram Albius et suam
56 doctus Naso Corinnam
57 complexu tenero fovent
58 et Propertius in sinu
59 Cynthiae tepido cubans
60 dulces cantat amores.
61 Hic Merline pedem tene,
62 neu quaere ulterius, sed hic
63 exspecta Dominam et tuum
64 herum, belle catelle.
65 Nec te discruciet mora,
66 quod florentibus, illa et hic
67 annis vivere diutius
68 forsan posse videntur :
69 nil mortalibus est diu,
70 nil certum : juvenes, senes
71 sero aut ocius occidunt,
72 innuptaeque puellae
73 et tristes viduae cadunt ;
74 non aetatis habet ferox
75 discrimen Libitina, sed
76 omnes sorte pari urget.
77 Vel nos a cane possumus
78 vitae exempla brevissimae
79 nobis colligere et malam
80 nulli parcere Parcam.
81 Debebat merito quidem
82 non tam praecipiti nece
83 Merlinus subito emori,
84 sed quem dente Molossus
85 immitis rapuit. Quid hoc
86 monstri ? Non lupus impetit
87 lupum, non lacerat leo
88 leonem neque tigris
89 in tigrim furit, omnibus
90 inter se bene convenit
91 feris, quae nisi sunt truces
92 indispar ? Tibi soli
93 catelle o, nocuit canis.
94 Si canis fuit ille, nec
95 natus semine dispari
96 ex lupo atque leaena.
97 Sic (heu) fortis Ulysssei
98 fideles comites viae,
99 humanas sitiens dapes
100 informis Polyphaemus
101 quondam Trinacriae in jugis
102 diris dentibus impie
103 (exhorret meminisse mens)
104 fertur dilacerasse.
105 Sed nec ille homo, nec fuit
106 qui te comminuit, canis.
107 Tu Merline tamen meo

108 notus carmine vives,
 109 dum vivent numeri mei,
 110 dum vivet Dominae tuae
 111 nomen carminibus meis.
 112 Sed trux ille Molossus
 113 nullum nomen habet, cui
 114 aeternae tenebrae imminent :
 115 illum faxo vicarium
 116 nigrae janitor aulae
 117 invitum statuatur sibi.
 118 Illic flebilis, ejulans
 119 collo ferrea vincula
 120 gestans, excubet et te
 121 Campis Elysiis pios
 122 inter ludere suaviter
 123 canes, invideat miser,
 124 custos flebilis Orci.
 125 Sed tu belle catellule.
 126 Tu catellule bellule,
 127 gaude, nil nocuit tibi
 128 pulchris invida Parca.
 129 Nam si quid numeri valent,
 130 si quid Musa potest meo
 131 (ut Parcae invidia crepent)
 132 semper carmine vives.
 133 Sed jace tumulo interim
 134 hoc, quem floribus et rosis
 135 semper atque recentibus
 136 exornabo amaranthis.
 137 Haec laurus prope consita
 138 aeternam viridis comas
 139 ne te Sirius obruat,
 140 offundet cineri umbram.

CVM PRIMVM LOYSAM VIDISSET

M4_4 v.1 Quid mihi Dii talem sine spe monstrare puellam,
 2 quid placuit ? Quid in hac lumina nostra vident ?
 3 Felices quibus est hanc cernere posse negatum,
 4 ne pereant veluti Sole premente nives.
 5 Qui vidit periit, rigido si pectore perstat,
 6 ut solita est, saxis durior et scopulis.
 7 Sed si cui faveant, si quem voluere beatum
 8 dii facere (hic si quem vita beata manet)
 9 ille erit cujus facilis sit Diva favorem,
 10 fonte quia ex uno vitaeque morsque venit.
 11 Ite, alii Italiam pompa fastuque superbam
 12 quaerite, me Dominae terra beata tenet.
 13 Sint licet Hesperiae cultu praestante puellae,
 14 et moveant agiles arte modoque pedes,
 15 non tamen haec nostris ars deficit certa puellis,
 16 vincere ut Hesperias hac quoque parte queant.
 17 Hoc saltem superant, quod abest pictura genarum.
 18 Nec turpi fictus fucus in ore sedet ;
 19 quemque vides, possis Naturae hunc esse colorem

20 dicere, nec falsus quaeritur arte rubor.
 21 Has inter veneranda caput mea Diva superbum
 22 exerit et reliquis it prior una Diis.
 23 O mihi si Superum contingat quando favore,
 24 cujus jam fateor me subiisse jugum !
 25 Illa mihi felix semper cretaque notanda et
 26 exoritur, festis annumeranda dies
 27 qua mihi ridentis Dominae fas cernere vultum,
 28 quamlibet irato Juppiter axe tonet.
 29 Ut nimis infelix contra nigrique coloris
 30 si qua est, quae Dominam non dat adire, dies.
 31 Quam cuperem toto vibrari fulmina caelo,
 32 et pluvium terras mergere velle Jovem,
 33 dum modo praesentis Dominae me semper imago
 34 afficiat, radiis ut nova Luna suis ?
 35 Scilicet ex illa mea spes, mea vita sequuntur,
 36 laetaque vel tristis me facit esse parem.
 37 Nam simul averso contraxit lumine vultum
 38 meque oculo irato dura Loysa notet,
 39 continuo tamquam de caelo fulmine tacta
 40 mens stupet, exitio proxima namque suo est.
 41 At simul ut sumptus solitus rigor, ortaue stellis
 42 lux geminis rediit, nubilaque acta procul,
 43 quamquam jam prope sim lethaeis obrutus undis
 44 et mors liventes occupet atra genas,
 45 si semel adspiciam Dominae ridentis ocellos,
 46 excipiet solitus languida membra vigor ?
 47 Felices certe nimium nimiumque potentes,
 48 (ut parere invidiam vos quoque posse putem)
 49 felices oculos ! Quorum vis magna tuentes
 50 aut necat aut vitam cogit habere novam.
 51 Mulceat ille feras cantuque hic flumina sistat,
 52 et teneat volucres, ne moveantur, aves,
 53 aut faciat stupidas motare cacumina quercus
 54 dum tua forma homines alliciatque Deos.
 55 Major enim certe, major, me iudice, laus est,
 56 quam brutis homini vel placuisse Deo.
 57 Sed quae tam pulchro felix in corpore forma
 58 invitos etiam sub sua jura trahit ?
 59 Certe ego (ut ingenue fatear) mea pectora sensi
 60 insolitis prorsus tacta perire focis.
 61 Quod mihi consilium, similis quos flamma perussit
 62 dant, sequor, et studiis tempora fallo meis.
 63 Sed neque me studium neque magna negotia Amori
 64 eripiunt. Si non est Amor iste furor,
 65 qui neque me noctis, neque me sinit esse diei
 66 officio, quamvis lucter is esse, parem.
 67 Hei mihi ! Quae tacitis lateat vis ignea ocellis ?
 68 Quam saeva in placido lumine tela micant ?
 69 Tela repentinum laeso facientia vulnus
 70 pectore et ignito fulmine acuta magis.
 71 Fallimur ? An se oculis fugitivus condidit istis,
 72 qui faciat laesae vulnera mentis, Amor ?
 73 Sic habet. Hic Amor est fugitiva sede repertus,
 74 basiolum Veneris praemia ferre licet.
 75 Et cuperem, sed enim longe mihi gratius esset

76 basiolum Dominae, da veniam, alma Venus,
 77 ut verum fatear frustra sua vincula Marti
 78 invidiam, Dominae si modo junctus ero.
 79 Hujus ab unius nutu vultuque videntis
 80 pendeo, ab hac una vitaque morsque venit.
 81 Sed quid ego infelix ubi spes sit nulla, repono
 82 exitii, aut vitae pondera certa meae ?
 83 Scilicet hic labor est Divae mihi ferre salutem,
 84 non tangit tales cura molesta Deas.
 85 Utque etiam tangat, non tanti nostra fuere
 86 servitia, ut curam hanc promeruisse queant.
 87 Cur mihi, Dii superi, jam non vel monstra vel Hydras
 88 objicitis, nostra conficienda manu ?
 89 Dum modo sint Dominae nostrae haec jucunda pericla,
 90 nostra ut sit, saltem hic officiosa manus.
 91 Hanc ego, si liceat Stygiis educere regnis,
 92 eripiam, invito, qui regit illa, Jove.
 93 Illius auspicio quidvis tentabo, nec ignes
 94 nec metuam irato fulmina missa polo.
 95 Sed quae tam pulchris Natura est dura puellis.
 96 Omnia ut extremo sanguine parta velint ?
 97 Siccine, Dii Superi, mea, me nascente, trahebant
 98 fata ? An ad exitium est haec Dea nata meum ?
 99 Illa quidem poterit (quamvis quoque fata repugnent)
 100 invita vitam reddere morte mihi.
 101 Ite alii et medicas morbi disc<ernit>e nugas
 102 quaerite et audaci mixta venena manu,
 103 me licet exsanguem sicco febris occupet igne
 104 et trahat ad tumulum languida membra suum ;
 105 da mihi praesentis Dominae et ridentis ocellos,
 106 sub quorum imperio mens mea tota manet,
 107 exsilium veluti victor luctator arena,
 108 cum domuit valida monstra subacta manu,
 109 utque etiam valeam, totoque a corpore morbus
 110 absit et ex omni parte beatus agam.
 111 Si mihi non liceat praesentem cernere vultum,
 112 unde venit vitae portio prima meae,
 113 hoc flore emoriar subito miserabilis aevi,
 114 sic oleo lampas deficiente perit.
 115 Non ego de vita volventia sidera caelo
 116 consulo, nec caesi despicio exta bovis,
 117 incolumem modo fata mihi servate puellam,
 118 illa dabit vitam, si volet, illa necem.

NATVRAE DOTES NON ESSE CELANDAS

M4_5 v.1 Forma latens vitium est ; Naturam quaelibet arte
 2 adjuvet et dotes non tegat ulla suas.
 3 Sic quaecumque venit longis spectanda capillis,
 4 dispergat rutilas post sua colla comas.
 5 Si fuerint acres visu tactuve papillae,
 6 occubuisse illas non leve crimen erit.
 7 Si cui formosi fuerint teretesque lacerti,
 8 ut jaculatricis credimus esse Deae,
 9 nuda gerat ; quaecumque dabunt spectata decorem,

10 nulla suas sapiens virgo recondit opes.
 11 Dulce canens lyricisque coaptans carmina plectris,
 12 turpe tacet vocem dissimulatque suam.
 13 Et forma et virtus magni, nisi cognita, non sunt,
 14 fama suum rebus datque adimitque decus.
 15 Euryali Nisique fides si tecta fuisset,
 16 hujus et illius gloria nulla foret.
 17 Rusticitas certe est proprias abscondere dotes,
 18 et, nisi quae stulta est, nulla puella tegit.
 19 Rebus inest visis virtus et saepe videndo
 20 urimur hoc uno decipimurque modo.
 21 Sed quid stultus ago, nostris qui tela ministro
 22 hostibus, in nostrum tela movenda caput ?
 23 Fraude sua studiisque valet, quaque arte trahamur,
 24 et quibus insidiis sponte puella sciet.
 25 Ista tamen non longa damus praecepta libenter,
 26 his quae non ficta simplicitate placent.

IN NOVITIOS HAERETICORVM MINISTROS

M4_6 v.1 Adeste, iambi, et hanc luem plebeculae
 2 faecemque vulgi mobilis
 3 laccessite, exsecramini, convellite,
 4 pestem meorum temporum.
 5 Inutile et superfluum pondus bonae
 6 terrae, parentis omnium,
 7 qui vix relicto stercore et carbonibus
 8 lanaeque floccis sordidae
 9 novi ministri (quo vocant se nomine)
 10 falsique mystae prodeunt.
 11 Artesque sacras sordide et mysteria
 12 subimplicant, convellunt.
 13 O insolentem pessimorum audaciam !
 14 Vix iste, quem turba vides
 15 prodire cinctum, sordidoque tegmine
 16 capitis represso in concavos
 17 oculos, edace conscientia premi,
 18 vix iste prima nomina
 19 scit litterarum vix legat nomen suum
 20 si scitius depinxis.
 21 Et audet iste circulator improbus,
 22 censorio plane modo
 23 bacchari ab alto pulpito : lingua, manu,
 24 vilisque gestu corporis
 25 plebem avocare ab institutis patriis
 26 novumque dogma spargere.
 27 Accurrit, ecce, turba. Sed qualis ? (Boni o
 28 Dii) calcearii, coqui,
 29 et leno et histrio atque sulfurarius,
 30 et si quid hisce vilius.
 31 Mirantur autem, quem sibi parem modo
 32 mercede diabolaria
 33 videre stercus ex latrinis ducere
 34 aut ex cloacis publicis,
 35 prodire doctorem novum et legem Dei

36 torquere quo lubet. Velut
 37 Christi recumbens pectoris sancto sinu
 38 arcana somno traxerit !
 39 Quae tanta vis fullonibus divinitus
 40 concessa ? Quis credat Patres
 41 huc usque somniasse ? Quis credat Deum
 42 plus mille quingentis pati
 43 annis latere verum ? Ut iste scilicet
 44 calo tenebris obrutum
 45 producat in lucem ? Quis hoc sanus pati,
 46 quis hoc videre sustinet ?
 47 Sed miror unde venit haec auctoritas,
 48 ut unus iste furcifer
 49 plus possit audeatque apud plebem bonam,
 50 quam Regis aut Dei metus ?
 51 Succlamat omnis turba Numinis sacri
 52 plenum virum esse spiritu.
 53 Agnosco sane, agnosco quae commercia
 54 habere cum sacris queat
 55 vester Propheta, agnosco luce clarius.
 56 Ignoscite, hem ! Peccaveram.
 57 Vestalis illa, quam dies totos init
 58 totasque noctes strenue,
 59 propheticum produxit ex sacrario
 60 amica secum, spiritum
 61 hunc ille vester hausit ex praemortuo
 62 lascivientis podice.
 63 Similes habere labra lactucas quis est
 64 tam stipes, ut negaverit ?
 65 Talis decebat helluones spiritus
 66 sicarios scurras leves,
 67 falsarios et odia seculi, latus
 68 inscripta publicis notis.
 69 Adeste, iambi, et hanc luem plebeculae
 70 faecemque vulgi mobilis
 71 lacessite, exsecramini, convellite,
 72 pestem meorum temporum,
 73 inutile et superfluum pondus bonae
 74 terrae parentis omnium.

AD MVSAM

M4_7 v.1 Musa, vale, et studium : Getici nos proelia Martis
 2 jam colimus, non est commodus ille tibi.
 3 Quae facilem citharam quondam tractare solebat,
 4 stringit in adversum dextera tela caput.
 5 Aut aptat nervo letales docta sagittas,
 6 quae duxit calamos doctior ante tuos.
 7 Quique prius colui non infeliciter artes,
 8 non malus, ut durent proelia, miles ero.
 9 Mens avet adversas equitum confringere turmas
 10 et rapere audaces hostica signa manus.
 11 Illa prius calida, brumali tempore, pelle,
 12 tectaue talari pectora nostra toga,
 13 jam neque frigoribus cedunt neque victa calori,

14 quae pro pelle levi ferreus umbo tegit.
 15 Ite, leves Musae, languentia pectora vatum
 16 sollicitate, mihi jam fera bella placent.
 17 Est aliquid fateor cedentis vulnera Parthi
 18 scribere, vel celeri tela timenda fuga,
 19 pulveris excussam nubem strepitusque rotarum
 20 voce sequi, quantum vox numerique sinunt :
 21 est aliquid, fateor, sed quanto dicere factis
 22 inferius, tanto laus minor inde venit.
 23 Vivit Virgilius, vivit facundus Homerus,
 24 et vivit quisquis carmine nomen habet.
 25 Quis tamen Aeneam vati non praeferat aut qui
 26 erravit saevo per duo lustra mari ?
 27 Non adeo debet virtus generosa Poetis,
 28 virtuti potius debeat ille chorus.
 29 Hinc habuit totum quod habet decus, Arma virumque
 30 qui cecinit, Latia carmina clara tuba,
 31 cur autem veterum non vivam more parentum,
 32 queis facere egregium, dicere vile fuit ?
 33 Quos adeo toto semotos orbe putamus,
 34 queis non Belgarum gloria nota siet ?
 35 Quo Morinum Virtus se non extendit et arma !
 36 Quis tamen e Morinis facta paterna canit ?
 37 Ipsa sibi Virtus titulos nomenque decusque,
 38 ut careat vatum carmine, sola parit.
 39 Ut taceant vates, praeclari gloria facti
 40 crescit et excelsa sidera fronte ferit.
 41 Arma decus nomenque parant celebrumque triumphum,
 42 non tegit imbelles clara corona comas.
 43 Crescit in adversis Virtus animosa periculis
 44 et laus, si qua venit, parta labore venit
 45 sed tamen, ut famam tribuas nomenque Poetis,
 46 inferius multo debiliusque manet.
 47 Et cedit quantum aeriae saliunca cupresso,
 48 aut quae non tollit parva merica caput.
 49 Clara canant alii magnorum gesta virorum,
 50 da mihi, Mars, a me fortia bella geri.
 51 Malim nempe meas deduci carmine laudes
 52 quam canere alterius deses et esse domi.
 53 Pulchrius est galea flavos includere crines
 54 quam premere imbelli laureaserta coma.
 55 Illa colant vates, studiosae turba Minervae,
 56 nobis illa magis, cum gerit arma, placet.
 57 Pulchrius est Virtute mera proprioque labore
 58 et clarum factis promeruisse decus
 59 quam canere alterius pulchras res carmine gestas
 60 atque procul pavidas continuisse manus.
 61 Ante mihi placuit, fateor, studiosa Minerva,
 62 saepe horas fecit fallere, saepe dies,
 63 cum mens prona in humum, non ausa attollere vultus
 64 esset, nec vires nosceret ipsa suas ;
 65 tum mihi si puero quis forte politior ore
 66 exciderat versus, Musa, favore tuo,
 67 id sat erat studioque mihi versuque placebam,
 68 has et opes veras, divitias<que> ratus :
 69 sed postquam tenebras animo discussit opacas

70 dux ratio et, pulsa nocte, mihi orta dies,
 71 et Virtus digito pulchrum monstravit honoris
 72 dura iter et forti facta sequenda viro,
 73 quamquam primum aditum obstruerent hinc poena dolorque
 74 illinc invidiae vix subeunda lues :
 75 exsilui veluti somno multumque diuque
 76 expendens quaenam vita sequenda foret.
 77 Hinc Musa et studium dudum gratissima nobis,
 78 illinc Virtutis gloria certa vocat :
 79 tandem vix Musas animo studiumque reliqui
 80 audaci capiens arma gerenda manu.
 81 Quis tamen impediat jungi cum Marte Minervam,
 82 ut praesit studiis, non timet arma tamen.
 83 Imo etiam armata est galeaque inclusa capillos
 84 intrepida portat tela quatitque manu.
 85 Sic placet, hanc sequar et jungam cum Marte Minervam,
 86 mox fuero vates et modo miles ero.
 87 Cultori interea vestro, Mars atque Minerva,
 88 auxiliatrices admove uterque manus.
 89 Altera scribenti venamque decusque ministret,
 90 pugnantii vires alter et arma Deus.

AD CAROLVM MICAVTIIVM

M4_8 v.1 Ni te plus oculis meis amarem,
 2 his, inquam, geminis meis ocellis,
 3 vitae dimidium meae, putarem
 4 nil me durius esse ineptiusque,
 5 ni pluris faciam tuos amores,
 6 mores, ingenium, eruditionem,
 7 nugatoribus omnibus Latinis,
 8 Romanis Siculisque vel Sabinis,
 9 qui totam, facie Catoniana
 10 et vultu tetrico gravique veste
 11 censorisque habitu severioris,
 12 urbem, templa, forum, scholas domosque,
 13 cum suis vitreis notant ocellis,
 14 ridentes lepidis senes puellis,
 15 diducto ore, duos nigrosque dentes
 16 monstrantes, velut exarata frontem
 17 vetus simia, cum minantur, ira
 18 effervens pueris sibi molestis.
 19 Ni, pluris faciam, tuos amores.
 20 Mores, ingenium, eruditionem,
 21 nugatoribus omnibus Latinis,
 22 lippis, illepidis genasque pictis,
 23 musco dissimulantibus vel ambro
 24 morbum, dispeream malisque perdat
 25 modis Juppiter hoc caput, nec umquam
 26 arridens faveat mihi Camilla
 27 et me dura foras Neaera pellat.
 28 Juranti fuerit fides amico,
 29 amico veteri, bono sodali,
 30 jurantique suos tuosque amores,
 31 queis te Parthenope facit beatum.

32 Ah felix nimis et nimis beatus !
 33 Ergo Parthenope novas puellas
 34 lascivas tibi garrulasque praestat ?
 35 Roma non spoliat meis puellis ?
 36 Ah ! ah te nimis et nimis beatum !
 37 Ah ! ah me miserum et meos amores !

EPITHALAMIVM

M4_9 v.1 Tandem beatiss perfruor osculis,
 2 tandem cupitis brachia nexibus
 3 circum caput duco Loysae,
 4 circum humeros et amica colla.
 5 Non tam tenaci stringitur aesculus
 6 annosa circumvincta hedera nec in
 7 virente lenta vitis ulmo
 8 tam bene brachia lassa ponit :
 9 quam nos vicissim mutua mutuis
 10 ligamus arte brachia nexibus,
 11 non inquieti, sive Princeps
 12 in Frisiis superetur oris,
 13 sive impotenti pressa tyrannide
 14 late in Brabantis occupet oppida,
 15 nostro beati amore, nostra
 16 sorte nihil magis appetentes.
 17 Gaelo minantes ille struit domos
 18 vivoque ducit marmore imagines
 19 quae fronte declarent in ipsa
 20 et genus et titulos avorum.
 21 Raptus profanis ambitionibus
 22 hic largiens suffragia comparat
 23 vulgique venatur favorem
 24 et studium popularis aerae.
 25 Pugnacis alter Martis, inutilis
 26 paci, tubarum concrepitu excitus
 27 caedes superbus, et ruinas
 28 spirat et indomitum furorem.
 29 Est qui paternas insipiens opes
 30 expatret, est qui sordeat et bonis
 31 non ausit uti, uterque sane
 32 non vitio sine, cum labore.
 33 Nituntur ergo nec studio pares,
 34 inexpedito tramite et aspero
 35 nec fine concordēs, sed omnes
 36 a posita sibi meta aberrant.
 37 Moles struentem mors gravis occupat,
 38 bellumque sane plenum opus aleae est
 39 periculosae, non avarus
 40 sed neque sordidus est beatus.
 41 Horum nihil me commovet interim,
 42 tutusque fasces despicio ac opes,
 43 Musarum alumnus, de rebelli
 44 virgine jam statuens trophaeum.
 45 Quae pertinaci continuis tribus
 46 annis repugnans mente, quibus modis

47 experta Gisleni fidemque est
48 et patientem animum repulsae ?
49 Dum nunc parentum dissidiis negat,
50 se posse de se cernere libere,
51 confessa sese intus tamen non
52 fervere languidiore flamma.
53 Nunc fluctuantes imperio timet
54 (qui mos puellis est) patruos, nihil
55 commota constanti labore
56 nil lacrimis precibusque nostris.
57 Idemque hic inter spem tenor et metum,
58 mansit, Loysae non dubium artibus,
59 donec Deum favore tandem
60 lux mihi candidior refulsit.
61 Quae tot malorum congeriem suo
62 splendore solvit, tam varios metus
63 spe diffugavit et puellae
64 cor tenebris mihi liberavit.
65 Sic ut mearum sollicitudinum
66 jam certa, firmam mi dederit fidem,
67 nil, matre nobis adfavente
68 ulterius patruos morata.
69 Ac aemulorum despiciens minas,
70 queis displicebat mutuus hic amor,
71 vanos timores spemque inanem
72 ponere me pudibunda jussit.
73 Inserta tandem dextera dexterae,
74 datumque amoris symbolon et sacro
75 tandem sacramento est probata
76 rite fides ab utroque nostrum.
77 Quae mente tum non gaudia contuli ?
78 Queis non Loysam laudibus extuli ?
79 Doctam pari, pares calores,
80 pascere non trepide favilla ?
81 Nunc grata tandem, grata pericula
82 grati labores et lacrimae, quibus
83 fluxisse tam genas frequenter
84 et memini et meminisse dulce est ;
85 nunc nunc pudicis carminibus juvat
86 mecum labores tam bene creditos
87 evolvere et curas edaces
88 perlegere et varias querelas,
89 nobis quid usquam est absque laboribus
90 a Diis relictum ? Quid sine praevio
91 sudore speremus ? Labores
92 Herculei meruere caelum.
93 Virtute clarent, quos veterum canunt
94 Musae, decusque et posthuma gloria
95 laborque prorepunt et uno
96 mox vigilantia juncta passu.
97 Mihi labores et studium et graves
98 curae beatis ignibus et frui
99 desiderato amore tandem
100 Cortewilae dederunt rebellis.
101 Quid ? quod labores atque pericula
102 grati saporis gaudia condiunt

103 fere paratu ? Obscuriorque est
 104 ex facili titulus duello ?
 105 Laboriosi industria quid mei
 106 solius haec quod proelia vicerit ?
 107 Nullo recepto tam prementis
 108 nec duce nec socio pericli ?
 109 Partem triumphis militis occupat
 110 plerumque virtus in dubia alea
 111 Martis, sed in meo triumpho
 112 gloria tota mihi relictæ est.
 113 Me nempe solo militiæ duce,
 114 solo tribuno et milite vicimus,
 115 nec ulla debetur subactæ
 116 laus aliis vel honos puellæ.
 117 Adesto, Juno pronuba, ades, Venus,
 118 felixque castis auspiciis date
 119 toris et ab lecto fugate
 120 dissidium procul et dolores.
 121 Viden' Loysæ quam variis color
 122 genas respergat ? Nunc ebore et nive,
 123 nunc purpura rosisque, casti
 124 indicio haud dubio pudoris ?
 125 Timere, Virgo, desine, desine,
 126 maturior te consociet viro
 127 aetas, nec ad matrem reflecte
 128 stulta oculos lacrimis gravatos.
 129 Et gratulantur turba mihi favet,
 130 majorque noctis portio transiit,
 131 lassique dissolvunt choræas
 132 virginibus juvenes relictis.
 133 Sed quos senectus jam gravior vetat
 134 saltare, vino turba madens domum
 135 contendit ire nosque solos
 136 relinquere velle mihi videntur.
 137 Quis ille, qui te sanguine proximus
 138 attingit ? Ille hic, cui rutilas faces
 139 præfert puer, serto fluentem
 140 caesariem roseo revinctus ?
 141 Agnosco morem jam patrium, venit
 142 ad te citatis gressibus, ut mihi
 143 tradat fruendam, sed supremam
 144 arte prius choream præibit.
 145 Audin' puellas ultimo in angulo
 146 ridere ? Quam sese cupiant vices
 147 Tales obire ? Sed tamen tu
 148 parce precor lacrimis, Loysa.
 149 Jam turba cedit densior ac fores
 150 spectat ; quietem nox aliis parat.
 151 Mihi tibi que mille risus,
 152 mille jocos facilesque lusus.
 153 Quæ bella vel quæ proelia inibimus ?
 154 Sed heus ! amicis nox tenebris teget,
 155 si quæ vetat dici Loysæ
 156 ora pudor minio colorans.
 157 Quid erubescis virgineum decus
 158 tremisve ? Quod si cum tunica velis

159 seponere innatum pudorem,
160 cras bene cum tunica resumes.
161 O qui labores ? Quis fluor artubus
162 ibit solutis, dum variis modis
163 luctamur et dulcem jugalis
164 militiam Veneris novamus.
165 Putasne conchas oscula strictius
166 inexplicatis nectere vinculis ?
167 Putasne tot dulces columbas
168 posse modis variare miris ?
169 O quae Loysae balsama sugimus
170 ex ore ? Quale o nectar in illius
171 natat fluitque cum suavi
172 ambrosia roseis labellis ?
173 Non tale primo vere legunt apes
174 circumvolantes omnia sedulae
175 mel, roris in novi respersis
176 floribus aethereo liquore.
177 Quam dulce post haec proelia languidos
178 claudens ocellos somnus erit modum
179 jocis daturus risuique,
180 quam facilisque tibi que gratus !
181 Tum me reclinans in Dominae sinum
182 jubebo tristes, pondus inutile,
183 durumque curas exsulare
184 corde meo atque meae Loysae.
185 Illae recedent ac alio statim
186 sese reflectent, Principis et domum,
187 pectusque vel Regis Philippi
188 hospitiis animum occupabunt.
189 Sed quae strepentum turba fores quatit ?
190 Primique nobis ludicra somnii
191 abrumpit et quae nox suavis
192 ludit imagine bella falsa ?
193 Videsne ruptis ut foribus ruant ?
194 Densique circum se glomerent torum ?
195 Nectarque propinent, peracti,
196 dulce refrigerium laboris ?
197 Sed tu, quid injecta faciem tegis
198 manu Loysa o ? Non periit color
199 sed est adauctus pulchriorque es
200 jam mulier modo quam puella.
201 Mox quando Phoebi clara soror suum
202 novarit effulgens novies jubar
203 futura mater et pudoris
204 virginei exhibitura pignus.
205 Quod si patris sexum referat, statim
206 primis ab annis instituens, sacris
207 Musis dicabo barbitoque
208 nec cithara patiar carere.
209 Sed si puellam Dii dederint tibi,
210 curabis ut te moribus et sacro
211 pudore praeferat gravique
212 frontis honore modestiaque.

AD HENRICHVM MEVGHENIVM

M4_10 v.1 Cinge tuum lauru victrice, Henriche, Poetam,
2 en jacet in nostro flava Loysa sinu.
3 Illa triennali inconcussa labore Loysa,
4 collo sponte avidas injicit ecce manus.
5 Quaeque meos quondam solita est contemnere amores,
6 despiciens nostras improba saepe preces,
7 pendet ab ore sui tandem non dura mariti,
8 commota ingenii simplicitate mei,
9 et quam me duris agitaverat ante periclis,
10 tam nunc me facili commoditate fovet.
11 Cinge tuum lauru victrice, Henriche, Poetam,
12 en jacet in nostro flava Loysa sinu.
13 Continuo studio mortalibus omnia cedunt,
14 sique enitamur nos juvat ipse Deus.
15 Cum primum conspecta mihi est mea cura Loysa,
16 pulchra oculos, humeros lata, comasque decens,
17 sola suae matris proles ac unica cura,
18 (ut memini) in dubio mens mea tota fuit :
19 auderemne, favente Cupidine, nectere amores
20 et dubiae Veneris castra fidemque sequi ;
21 ipsa Venus tentare jubet, jubet ipse Cupido,
22 jungens humanis numina saepe toris.
23 Juppiter in Danaen, in Daphnen pulcher Apollo,
24 declinat posito numine uterque Deus.
25 Cinge tuum lauru victrice, Henriche, Poetam,
26 en jacet in nostro flava Loysa sinu.
27 Illa mihi primum facili candore placebat
28 promittens oculis omnia laeta suis.
29 Sic prope fallaci piscis deluditur hamo
30 letalesque avido devorat ore cibos.
31 Sic ego spe vana primum ducebar et ibam
32 captivus Dominae praeda jocusque meae,
33 donec victa sui tandem constantia amantis
34 mutavit mentem nostra Loysa suam.
35 Cinge tuum lauru victrice, Henriche, Poetam,
36 en jacet in nostro flava Loysa sinu.
37 Quae sibi saevitiam male respondere putavit
38 indignamque rata est moribus esse suis.
39 Quod simul ac sensi mecum : Bone Juppiter (inquam)
40 et Venus et Veneris nate, Cupido, fave,
41 scitis enim me casto animo, me mente pudica,
42 virtutes Dominae percoluisse meae,
43 nec formae tantum captum juvenilis amore,
44 (quamquam forma Deos flectere digna fuit)
45 non oculis tantum vivum spirantibus ignem,
46 arsisse (et flamma haec ureret Hyppolitum)
47 non ita caesarie vinctum flavisque capillis,
48 (et poterant ipsum haec vincla tenere Jovem)
49 quantum mente proba, divinis moribus atque hoc
50 candore, hoc animi dexteritate sui.
51 Dotem non ego divitias aurumve putarim,
52 aut haec quae in pretio vulgus habere solet.
53 Sed magis ingenuam mentem vitamque pudicam
54 praecipue stabilem cum probitate fidem.

55 Haec ego cum Domina videor mihi posse Loysa
 56 consequi et aeterna pace bonisque frui,
 57 ergo favete mihi tandem, bone Juppiter, et tu,
 58 o Venus et Veneris, sancte Cupido, puer.
 59 Finieram : cum circa aures mihi lenior aura
 60 auspicio visa est asservisse preces.
 61 Quaeque diu tenuit me desperatio, longe
 62 cessit et in mentem Spes, Dea certa, venit :
 63 cinge tuum lauru victrice, Henriche, Poetam,
 64 en jacet in nostro flava Loysa sinu.
 65 Paulatimque animi posita feritate rebellis
 66 concessit telis, Dive Cupido, tuis.
 67 Meque suum seseque meam blando ore vocavit
 68 et flamma exussit par utriusque jecur.
 69 Quin et conjugii sanctis vincimur utrimque
 70 nexibus et capimus rite damusque fidem.
 71 Expedias calamos nostrumque, Henriche, triumphum
 72 concelebrans, clames : O Hymenaeae veni,
 73 O Hymenaeae veni, veni <adhuc> o pronuba Juno
 74 cumque Jocis Venus et cum Venere alma Fides.
 75 Cinge tuum lauru victrice, Henriche, Poetam,
 76 en jacet in nostro flava Loysa sinu.

IN QVOSDAM SCIOLOS

M4_11 v.1 Sunt quidam scioli, minuta turba,
 2 consueti in triviis docere pupos,
 3 qui quod Grammaticam decem per annos
 4 saevo verbere ferreaque virga
 5 vulgarint, animos gerant superbos.
 6 Et me iudicio et meos amores
 7 audent subjicere et negant Loysam
 8 recte, quae Ludovica sit, vocari.
 9 Ut crepent scioli, minuta turba,
 10 nil me commoveant suis susurris.
 11 Dicam nempe Loysa et o Loysa,
 12 vicinum nemus omne personabit
 13 nec flocci faciam et meos amores
 14 turba non patiar reprimi ab ista.
 15 Nec mecum patiaris, o Dione,
 16 ab istis sciolis, minuta turba,
 17 me certe immerito et meos amores
 18 carpi, sed facilis favensque clama
 19 ter Loysa quaterque donec isti
 20 crepent invidia, minuta turba.

AD LOYSAM

M4_12 v.1 Ades mearum sollicitudinum,
 2 Loysa, consors et mihi candidis
 3 innecte cervicem lacertis,
 4 ut veteres hederæ columnas,
 5 ut lenta strictis basia dulciter
 6 ducam labellis et fruar osculis,

7 quae nectaris grato sapore
 8 ambrosiaeque Venus beavit.
 9 Jam colligatis conjugii sacris,
 10 idque auspicato, nexibus, unica
 11 quaerenda vivendi beate
 12 est via, nec nimium dolendum,
 13 seu pertinaces Bouchenii negent
 14 regis Philippi cedere viribus,
 15 seu contumax Gallo repugnet
 16 nobilitas Feriis subactis.
 17 Diem necesse est occidere, ut venit,
 18 nec si, Loysa o, te querimoniis
 19 vexes, movebis ferreaeque
 20 solvere vincla necessitatis
 21 possis. Amandum est et sine sordibus
 22 ducenda nobis vita, nec unius
 23 putandus assis aemulorum
 24 livor et invidiae venenum.
 25 Cessas rosarum spargere, Myrtale,
 26 nimbo loquacis stragula lectuli ?
 27 Cessas coronatum Lyaeum
 28 promere subradiante in auro ?
 29 Tibi, Philippe, o Rex bone, praebibo,
 30 tibi que, princeps perfide Orangiae,
 31 qui cum Philippo Rege misces,
 32 proelia matribus execranda,
 33 nostros amores mutuaque oscula,
 34 quae cum Loysa compare ludimus,
 35 turbare ne precor velitis
 36 sed facili studio fovete.
 37 Sic sic Philippo rem decus augeant,
 38 nomenque Divi, quem Patriae Patrem
 39 clementiaeque confitemur
 40 et fidei columen probatae,
 41 sic pertinaci numina Principi,
 42 pacis quietae dent stabilem statum
 43 bonamque mentem et ab Philippo
 44 perfidiae veniam petenti.

EPIGRAMMA

M4_13 v.1 Desinite o cineres Trojae vexare sepultos,
 2 ignavum, vates, insipidumque pecus.
 3 Illa semel periit, semel est celebrata Maronis
 4 ingenio et tanti vix periisse fuit.
 5 Vos iterum cineres, iterum tractare ruinas
 6 audetis ? Non jam Troja sepulta feret.

AD IOANNEM A RIBEKE

M4_14 v.1 Dii bene nam quod nos vix sperassemus, id ipsum
 2 contigit, et voti est compos uterque sui.
 3 Spes prope nulla fuit, Grudias linquentibus arces,
 4 posse iterum jungi nos propiore loco.

5 Et tamen evenit jam dudum Dolaque junxit,
 6 quos prius in Grudiis junxerat unus amor.
 7 Felices Galli, qui tam concordia nexu
 8 pectora contra spem nobiliore ligant.
 9 Non tamen hoc satis est, quamquam satis esse putaram
 10 ecce unam geminis Roma dat ampla domum.
 11 Certe ego me miserumque infelicemque vocabam,
 12 propositi damnans improba cepta mei.
 13 Nam quid ego hic quaero procul a regionibus illis,
 14 quae tot amata mihi, tot mihi cara tenent,
 15 anne juvat mores Populumque videre Latinum,
 16 et grave Romana in fronte supercilium ?
 17 Fallimur haec miseri Belgae si quaerimus illa
 18 certius in patria quisque videre potest.
 19 At qui alios amor huc rapit ambitiosus honorum,
 20 sed numquam mea mens ambitiosa fuit.
 21 Haec ego cum mecum tacito sub corde revolvi,
 22 incoepti fateor paenituisse mei.
 23 Donec sors melior victo gaudere dolore
 24 fecit conjungens me tibi teque mihi.
 25 Dispeream si non juvat irrepsisse per Alpes,
 26 dispeream si non sic mihi Roma placet.
 27 Gratulor exsilio veteres quod jungit amicos,
 28 nec jam plus patriae tangor amore meae.

AD ANTONIVM MEIERVM

M4_15 v.1 Nil mortalibus est quod magis expedit,
 2 quam servare animum, sive noverca sit,
 3 (ut plerumque videmus)
 4 seu fortunata parens, parem.
 5 Indignumque viro credere fluctibus
 6 caecae circumagi sic mulierculae
 7 ut lenta puerorum
 8 impactus scutica trochus.
 9 Si quae distribuens arbitrio suo,
 10 fors insana homini munera dividit,
 11 haec certa ratione,
 12 dignis digna rependeret,
 13 his ut divitias, qui sapiunt, daret,
 14 quas cum desipiunt, eriperet, nihil
 15 pugnarem omnibus aris
 16 illam et thure coli et focus.
 17 Ejus praecipue numen honoribus
 18 dignarer meritis nullaue victima
 19 caldo sanguine cultros
 20 nobis imbueret prior,
 21 quam quae vincta rosis aurea cornua
 22 fortunae caderet ; nunc ego caeculae
 23 mortis ingeniumque
 24 novi et praecipitem rotam.
 25 Justis illa fere surripit, impiis
 26 quae de munifica munera dextera
 27 pravorum atque bonorum
 28 cum discrimine nullo <ei>.

29 Soli hanc negligimus, Mejere, qui sacras
 30 majorum colimus ritu Aganippidas
 31 nostra sorte beati,
 32 plus quam sorte sua Midas.

IN ARANDAM

M4_16 v.1 Quaeritis unde venit fucatae nomen Arandae ?
 2 Non est fortuitu, sed ratione datum.
 3 Rusticus incurvo fundos exercet aratro
 4 haec alio Hispanis est peraranda modo.

IN RANARVM VENATOREM

M4_17 v.1 Quid miseris ranis etiamnum bella minaris ?
 2 Vis ego te mures credam habuisse patres ?
 3 Scilicet ex illis veteris vestigia cladis
 4 haerent et seri corda nepotis agunt.
 5 Si sit id, incipias, manes ulciscere patrum,
 6 qui bellum canat hoc alter Homerus erit.

EX BOETII PROSA

M4_18 v.1 Crimina qui stolide, exuta probitate, sequuntur,
 2 hi quoque naturam deseruere suam.
 3 Quisquis enim fervet caecaque cupidine lucri
 4 ardet et alterius tollit avarus opes :
 5 non equidem hunc hominem, solida ratione, vocabis,
 6 sed merito saevum dixeris esse lupum.
 7 Sic quem delectant rapidi fera jurgia vulgi,
 8 latrat et infelix incipit esse canis.
 9 Sed quicumque dolis melior, vel fraude latente,
 10 eripit illicitas insidiator opes,
 11 deposito hic hominum ritu vitaeque priore,
 12 insolito vulpes more vocandus erit.
 13 Et quicumque fremit, neque fortiter imperat irae,
 14 turbida Marmarici corda leonis habet.
 15 Qui fugit et nulli pavidus metuenda veretur,
 16 mutato humano nomine, cervus erit.
 17 Qui languet nimio solitus torpore veterno,
 18 Arcadici pecoris vivere more puto.
 19 Et quicumque levis studia in contraria fertur,
 20 mente levi volucres hic imitatur aves.
 21 Qui fuerit foeda diraque libidine mersus,
 22 involvit turpi cum sue membra luto.
 23 Sic quisquis sordes inter vel crimina vivit
 24 belua, mutata conditione, manet.

AD LOYSAM

M4_19 v.1 Qualis in caelo nova Luna frontem
 2 auream profert, dubiis renidens

3 cornibus, stellis reliquis corusco
 4 lumine victis ;
 5 qualis et Nymphis Thetis in marinis
 6 ceteris major celeri quadriga
 7 vecta, delphinas moderatur acris
 8 mater Achillis ;
 9 talis in terris, mea lux, Loysa,
 10 aureos crines oculosque profers
 11 igneos, latis humeris decora et
 12 frontis honore.
 13 Pulchrior tanto reliquis puellis,
 14 sive qui mores facilemque vitam
 15 discutit sive ingenuum pudorem,
 16 seu mage formam,
 17 quanto in umbroso generosa pinus
 18 altius lentis Vesulo genistis
 19 exerit late caput et virenti
 20 brachia fronde.

AD IOANNEM FRATREM

M4_20 v.1 Ades modestis huc epulis precor
 2 jucunde frater, pars animae meae,
 3 nobis domi dudum Falerni
 4 est veteris cadus et suilla.
 5 Durata fumo perna, quibus lepus
 6 accedet assus, luxuries erit
 7 haec tota mensae, si quis addat
 8 castaneamque nucem pirumque.
 9 Sed conjuges haec omnia condient
 10 locis pudicis et vario sale.
 11 Lucebit ignis absque fumo
 12 splendidus et facilis Loysa
 13 conviva quicquid luseris, id tibi
 14 probabit, horarum comes omnium,
 15 ne fumus exigant, et uxor
 16 litigiosa domo maritum.
 17 Quid machinetur Principis impii
 18 divus satellites, quidve parentium
 19 dispar suorum abominandus
 20 sanguis Alenonius, rebelli
 21 favere vulgo non piger, anxie
 22 inquirat, ut quis pollet honoribus :
 23 nobis domi latere tutum,
 24 atque mero celebrare dulci
 25 regis Philippi gesta domi et foris,
 26 hostesque lusos, plus vice simplici,
 27 et nobilem super subactis
 28 dicere Pleumosiis triumphum.
 29 Curare siccis linquere quis neget ?
 30 Ut se severi discrucient, mihi
 31 tibi que quod fortuna, cumque
 32 ulla dabit, facile est ferendum.

AD FRANCISCVM MOSCHVM

M4_21 v.1 Ergone me, mea fata vetent contraria semper
 2 doctorum adspectu concilioque frui ?
 3 Optatum Moschum facili tractare paratu et
 4 Meuchenium ac una jungere Jamotium,
 5 in primis Hojum quondam mihi carmine notum,
 6 nunc facie et sancti pectoris iudicio :
 7 sed vetuit docto diversa negotia Moscho
 8 objiciens doctis sors inimica viris.
 9 Debuit (ut fertur) discordes jungere dextras,
 10 et curare suo munere pacis opus.
 11 Pastore hoc dignum munus non esse negabo,
 12 sed poterat vates jungere cena brevis.
 13 Et pectus sanctis aperire et prodere verbis,
 14 et fundamentum ponere amicitiae.
 15 Sit dilata licet praesens occasio, vates
 16 quam minime exspectes junxerit una dies,
 17 Bultelium si nulla alias huc duxerit hora,
 18 Hypris Jamotium Meucheniumque suum
 19 ac Hojum Moschumque manet tum quotquot amicos
 20 Meuchenius secum Mejeriusque trahit.

AD ANDREAM HOIVM

M4_22 v.1 Catullientis dum numeros lego
 2 Hoji, Latinae delicias mihi
 3 audire linguae pristinasque
 4 Romulidum <nitidas> videre
 5 phrases. Ut illum sors mihi praepotens
 6 dedit, nec exspectatum, ita me Deis
 7 debere multum profitebor
 8 Jamotiumque bonumque Moschum.
 9 Novos amicos, sed veteri fide
 10 exosculabor ? Queis ego deprecor
 11 anni senescentis novique
 12 exitum et auspiciam beatum.

AD FRANCISCVM MOSCHVM

M4_23 v.1 Mosche, decus vatam, florentis gloria cleri,
 2 qui populi mores corrigis ex cathedra,
 3 ergo semel Clytium vidisse manumque dedisse,
 4 Mosche, tibi id memori non cadit ex animo.
 5 Ne valeam, si non hoc dignum pectus amori est,
 6 dispeream, si non hoc ego pectus amem.
 7 Vive igitur nostri memor, optime Mosche, et amicos
 8 inter vel primos scribe tuum Clytium.
 9 Namque ut postremus forsitan sit tempore, certe
 10 officio primis annumerandus erit.
 11 Experiare, probat namque experientia amicos,
 12 et veram et falsam expendit amicitiam.
 13 O felix Armenteria et bis terque beata,
 14 eloquio tanti consilioque viri.

15 Quid tamen esse rear causae, tandem tot amicos
 16 tam doctos, cur urbs una mihi dederit.
 17 Una et Honoratum mihi Jamotiumque paravit,
 18 una Hojum nobis Meucheniumque dedit.
 19 In primis Moschum, pastoris munere sancto
 20 fungentem et claro nomine conspicuum.
 21 Sed minus admiror, placidas dum leve fluentis
 22 ad Lyzae ripas audio Pierides
 23 carmina cantantes et toto margine dulces
 24 cygnos phoebum continuare melos.
 25 Accedunt vates, facili se foedere jungunt,
 26 et dant alternas accipiuntque manus.
 27 Me quoque profiteor, quamvis nec nomine vatis
 28 sim dignus, vates percoluisse pios.
 29 Hos inter mihi primus eris, Mosche optime, cujus
 30 Musa meum puro coepit amore animum.

AD FRANCISCVM MOSCHVM

M4_24 v.1 Mosche mihi celebri jam dudum cognite fama,
 2 nunc vero ingenii pectoris indicio,
 3 si locus indocto est inter tot nomine claros
 4 extremo adscribas margine Bultelium.
 5 Longe alios infra quavis sim carmine, certe
 6 officio obsequioque experiere parem.

AD FRANCISCVM MOSCHVM

M4_25 v.1 Cum cuperet Moscho Clytius vale dicere ; Moschi
 2 adstrictus verbis haesit et attonitus.
 3 Et patriam et dulcem oblitus cum conjuge, prolem
 4 et patria his si quid servat amabilius,
 5 Haesit et extremo est vix vespere tandem avulsus.
 6 Vis ea divini et pellicis eloquii est.
 7 Nec puto, si rursus cupiat valedicere, siccis
 8 os oculis possit dicere triste vale,
 9 huc igitur calamum et chartam, puer, affer, ut illi
 10 scribam, quod nequii dicere : Mosche, vale.
 11 Mosche, vale, vale Mosche, tibi quodcumque petessis
 12 dent, superi, mihi (quod percupio) esse tuum.

IN MORTEM PETRI DE BERTY

M4_26 v.1 Quando oculos mors Petri extrema nocte gravatos
 2 clauderet et conjux frigida membra viri
 3 contrectans, lacrimis maesta cum prole rigarent,
 4 et domus in gemitus tota soluta foret,
 5 ille manum attollens, sobolem, viduamque futuram
 6 obsignans cruce, nil protulit ulterius.
 7 Tantum suspiciens confixi vulnera Christi
 8 irriguis lacrimis ora sinumque lavat ;
 9 tum vero ingeminant fletus, gemitusque frequentes
 10 cum vidua proles orba parente cient.

11 Presbyter adsistens consolaturus utramque :
 12 quisquis sic moritur, non obit, inquit, abit.

AD HONORATUM

M4_27 v.1 Inter honoratos, non ultima gloria vates,
 2 pastor Honoratus non inhonorus agit
 3 hic ubi prolabens decursu Lyzia lento,
 4 houplinii pingui flumine findit agros,
 5 conjungitque sacras sacra ad mysteria Musas
 6 commissasque sibi sedulo pascit oves.
 7 Tam niveus mores, niveus tam pectus honestum
 8 quam pullus barbam caesariemque niger.
 9 Hunc mihi Meuchenius primum cognoscere doctor
 10 adspectuque frui colloquioque dedit.
 11 Cognitione novum, veterem studioque fideque
 12 Meuchenio multum hoc nomine Bultelius
 13 debet, Honoratumque suum Henrichumque videre
 14 optat in Hyprensi fertilis urbe soli
 15 ac aliquot luces sociis genialiter istis
 16 inter tot curas fallere posse mero.
 17 Displiceat curas aliis abradere vino,
 18 non mihi contractum dura supercilium
 19 mater habere dedit, nulla sum lege severus,
 20 et condire juvat seria facta jocis.
 21 Disrumpet, si quis nimium contenderit arcum,
 22 quod requie careat, posse manere nego.
 23 Promptior a requie mens magna negotia tractat,
 24 seu privata domi, publica sive foris.
 25 Otia post longum percursum navita Pontum
 26 exigit et tuto ex litore spectat aquas,
 27 post durum Mavortis opus, post frigus et aestum
 28 otia securo cum duce miles agit.
 29 Postquam equus ad palmae venit generosus honorem
 30 subsistit, requie perfruiturque domi.
 31 Post repetet pugnas miles, post navita Pontum,
 32 sarciet et tardae tempus uterque morae
 33 ac iterum sonipes celeri Zephyrumque Notumque
 34 antevolans cursu digna brabea feret.
 35 Nos quoque post doctosque sales risusque jocosque
 36 rursus tangemus seria, quisque sua.
 37 Doctus Honoratus Musas artesque severas,
 38 et Pauli et sancti scripta verenda Petri.
 39 Meuchenius varios docto medicamine morbos
 40 auspicio pellet, maxime Phoebe, tuo.
 41 Bultelius patriae muros custodiet Hyprae
 42 pervigil haud segnis munus obire ducis.

LIBER QVINTVS

AD PHILIPPUM FRATREM

M5_1 v.1 Janum bifrontem relligio patrum
 2 sacrauit, ut qui conspiciat simul
 3 quod est, et a tergo et quod ante.
 4 Quae sapientis imago vere est.
 5 Prudens futurum prospicit et nihil
 6 caecae relinquens arbitrio Deae,
 7 metitur eventus gravesque
 8 cum ratione, Philippe, casus.
 9 Quodque est futurum colligit et ex iis
 10 plerumque, quae sunt praeterita, et cavet
 11 domique praeparat gerendis
 12 consilium ante modumque rebus.
 13 Tu, quem iuventus et studium procul
 14 duri Gradivi sevocat a domo
 15 grata parentum, examinaris
 16 omnia consilio senili.
 17 Nec quo furoris te rapit impetus
 18 aetasque primo sanguine bulliens
 19 accede sed frenis beatae
 20 comprime te mediocritatis,
 21 fortis vel audax a temerario
 22 immane quantum discrepet. Alteri
 23 virtus comes decusque, quale
 24 nulla dies queat elevare.
 25 Numquam relinquunt alterius latus
 26 poenae, dolores, dedecus et gravis
 27 infamiae durum flagellum
 28 et sapiens metanoea tarde.
 29 Si quando poscet dura manum viri
 30 res in periculis, absit inutilis
 31 cunctatio timorque turpis :
 32 qui prior audet, agit triumphum.
 33 Ferro relicto turpia jurgia
 34 miscere, vere femineum genus
 35 puto decere, lis virorum
 36 iudice marte fere explicatur.

CALENDAE IANVARIAE

M5_2 v.1 Salve, sancta dies, niveo signanda lapillo
 2 qua tua non dubie lumina, Jane, refers.
 3 Exspectata venis, ades exoptata, recurre
 4 saepius et semper commodiora refer.
 5 Te capit expassis juvenis, te concipit ulmis
 6 femina, longaevi tu quoque cura senis.
 7 Namque iterum sperat tua lumina posse videre
 8 praecipitem quamvis cymba Charontis agat.
 9 Spe licet infirma jam centenarius aedes
 10 exstruit, haeredi commoda magna suo.

11 Sperat enim se posse Diis fautoribus annum.
 12 Vivere, post annum spes nova rursus adest.
 13 Sic sic tracta ruunt humanae tempora vitae,
 14 sic inter miseri spemque metumque sumus.

AD ANTONIVM MEIERVM

M5_3 v.1 Non equidem patiar (quis enim patiatur) abire
 2 in fumum nugas, carmina vana, meas.
 3 Ergo mihi periit longa vigilata papyrus
 4 nocte ? Nec est Musae Musa relata meae ?
 5 Quodque tibi nostros carmen juvenile calores,
 6 Mejere, descripsi, perdita Musa mihi est ?
 7 Non haec spes fuit at majus mihi fenus ab illis
 8 promisi. An frustra spes ea sumpta mihi est ?
 9 Accessit gener, ut qui me exspectare sciebat
 10 a socero dudum carmina docta suo.
 11 Obtrusit mihi nescio qua descripta tabella
 12 carmina, Mejerii dixit et esse sui.
 13 Aspicio agnoscoque notas. Gislenus in ipso
 14 adscriptus tergo Bulteliusque fuit.
 15 Sed simul est adaptata mihi tua littera, tantum
 16 Bultelii facta est mentio parca tui
 17 omnia Matthaei resonabant carmine nomen,
 18 Gislenus toto carmine rarus erat.
 19 Arripui calamum, gener est mihi testis, et uno
 20 haec prope momento scripta querela fuit.
 21 Arthesiae quod tu lateas tutissimus urbe
 22 Ballioli oblitus num potes esse tui ?
 23 Hic ego cum genero tempestatesque sonoras
 24 exspecto et quicquid militis ira feret.
 25 Ille sacerdotem proprias deduxit in aedes,
 26 cui texit rasum stricta cuculla caput.
 27 Cujus in auriculam miles, post furta capacem
 28 adsuetus culpas exonerare fuit.
 29 Hoc fore se immunem frustra tutumque putabat
 30 hospite, nam major post modo turba venit.
 31 Ejiciunt monachum, genero post vina epulasque
 32 extorquent oculis aes rapiuntque suis.
 33 Ille mihi casus obiter conquestus acerbos,
 34 consilium trepidis rebus opemque rogat.
 35 Si mihi quae debet socer exsolvisset, haberem
 36 quas tibi suppetias auxiliumque darem,
 37 inquit. Sed postquam non sunt data carmina nobis,
 38 non est de rebus justa querela tibi.
 39 Non etenim tanti constabunt verba Poetae,
 40 his aes ut fulvum vilis esse putet.
 41 Nam tua de rebus, de verbis quaestio nostra est,
 42 justior an non est nostra querela, tua ?
 43 Sed tibi quid scribam ? De rebus viderit ille,
 44 tu modo reddideris carmina pauca mihi.

AD ANTONIVM MEIERVM

M5_4 v.1 Non miror ultra tam facilem mihi
 2 rudi bonarum turpiter artium,
 3 Balboque cum viro diserto
 4 Mejero, amicitiam coisse.
 5 Ut parte cedam, qua melior vales,
 6 tibi relinquens Pierides tuas
 7 linguaeque Romanae nitorem,
 8 est aliquid, quod utrique nostrum
 9 commune saltem convenit optime.
 10 Ut nec sit ovum tam simile alteri
 11 ovo, fere putes gemellos
 12 Meierum Clytiumque amicos.
 13 Quod tu Lyaei nectare diluas
 14 curas, id ipsum Bultelio placet :
 15 seu consueti nos tumultus
 16 seditione gravi lacessant,
 17 seu me Loysa Cortewilae calens
 18 exercet ignis, seu Latiae juvat
 19 lyrae strepentes contegisse
 20 pectine rauca sonante cordas,
 21 fautore Baccho mitius auribus
 22 adludo doctis ac adeo minus
 23 pecco frequenter, absque Baccho,
 24 quis strepitus ferat insolentes ?
 25 Jejuna laedunt carmina scilicet
 26 aures stupentes et miseris modis
 27 vexant, nec impulsivi furente
 28 litora rauca Aquilone fluctus
 29 ingratiore murmure verberant.
 30 Bacchum sequuntur laus, veneres, decus,
 31 si quid placet, debere Baccho
 32 me fateor Dominaeque nostrae.
 33 Sed quod puellam quaeris adhuc senex,
 34 laudo proboque et tam viridem tibi
 35 deos rogo diu senectam
 36 continent gravibus carentem
 37 morbis. Puellae non fugiunt senem,
 38 qualem mihi te, Mejere, graviter
 39 depingis, expertem molestae
 40 garrulitatis et insuavis
 41 tussis valentemque et latus et caput,
 42 renesque multo rectius hoc putant,
 43 quam psallere aut saltare docte,
 44 ad modulos crotali crepantis.
 45 Quid ? Me Loysae nonne sequi putas
 46 nutum jubentis ? Quamlibet illius ...
 finis carminis deficit

... initium carminis deficit

M5_5 v.1 Hi sunt sacerdotum, Philippe, censors,
 2 quorum nec umbram sanctitatis attingunt,
 3 veri helluones et tenebriones, quos
 4 hirrire dicas, quando pulpito nixi

5 monstrant loquentiae quidem satis, verum
6 sapientiae nihil. Bovem putes prorsus
7 mugire, quoties Carolus intonat noster,
8 Carolus, Theophili qui sibi arrogans nomen
9 nec amat Deum, nec amatur a Deo, cujus
10 aras nefandus et focus solo aequavit.
11 Et iste scurra se Deorum amatorem
12 audeat amicumve vocitare ? Nihil quicquam
13 sceleris pudet ? Nam cum crucis notam vitet,
14 cane et angue pejus, audet attamen Christum
15 depraedicare, quem nisi cruci fixum
16 nescit beatus ille gentium doctor ;
17 at iste multo mane fetidus vino
18 exhalat, inter saepe contionandum
19 quod spirat olidarum gravis capellarum
20 maritus, ab venere recente desudans,
21 nec organo alio debuit seri sane
22 tam pestilens doctrina. Forte blasphema
23 ipso in palato verba quando formantur,
24 istam mephitim, putidam, gravem, saevam,
25 et una conformant forasque propellunt,
26 taetri notam veneni et indicem certam
27 quod profluens calumniantis ab rictu,
28 Ecclesiae Dei tollit sacramenta ;
29 sibi quibus nos ille vinculis jungit
30 sed quantum hoc ? Quod ipse Christus edixit,
31 sanxitque tam diserte ut ambigere nullus
32 possit sine scelere, hoc idem negat noster,
33 carnemque Christi sanguinemque praeberi
34 illo tremendo et sacrificio adorando :
35 quod angelorum exercitus stupet totus.
36 Et impudenter audet iste se Christi
37 Domini Prophetam nominare ? Vulgoque
38 se venditare sanctitate praeclarum ?
39 Quem cum suis lurconibus ministrisque
40 deblaterantem forte de sua sella
41 audire si daretur, haud recusarim,
42 totidem nisi tu diceres rudere asellos,
43 asellus ipse verus esse convinci
44 tam suave consonant lepidula capitella
45 cum pseudopsalmos voce barbara eructant.
46 Viris puella mixta, deligit flexis
47 oculis, cujus post carmen hoc, sui furtim
48 fecisse copiam possit. Nec id vero
49 debes novum putare aut insolens, quando
50 nec firma sint conjugia, sed resolvantur
51 ubi satietas taediumve successit
52 uxoris : hinc nati tot et patri vultus
53 tot dispares. Nulli suus pudor perstat
54 ubi contiones Caroli frequentare
55 ceptant. Philippe, ex hoc cave grege uxorem
56 si non tuae esse non cupis pater prolis.

AD VICTORIAM

M5_6 v.1 Descende caelo linque Jovis latus,
 2 adsuesce castris, o soboles Deum,
 3 regis Philippi : apud Philippum
 4 jusque bonumque manent et aequum
 5 devota morti pro patria trahit
 6 secum Philippus pectora, talium
 7 victoriae numen virorum
 8 assiduo cubat in lacertis,
 9 Franci fugaces terga metu dabunt,
 10 nec prouentem fulmine saevius
 11 ferent Alexandrum fugamque
 12 ante tubam timidi capessent.
 13 Telis adurge terga fugacium,
 14 prosterne late Francica lilia,
 15 et impii Martis pudore
 16 vultus Alensonii obruatur,
 17 ut discat aetas, quae veniet retro
 18 spretis parentum relligionibus
 19 nil esse tutum ; sed referri
 20 non male coepta alias retrorsum.
 21 Ne parce miles caedibus, opprime
 22 Martis resuccrescentis originem.
 23 Moles tibi se tota belli
 24 obtulit una acie domandam.
 25 Agnosco dextras, ibitis, ibitis,
 26 quo vera virtus provocat, ibitis,
 27 nec vos retardabit superbum
 28 nomen Alensonii, sed acres
 29 accendet iras fortius, ille nam
 30 splendens avorum sanguine Regio
 31 debebat integer rebellis
 32 spernere dona precesque vulgi.
 33 Infame lucri mancipium trahit
 34 post terga secum mortis imaginem
 35 poenasque certas et probrosum
 36 dedecus atque fugam pudendam.

AD POSTERITATEM

M5_7 v.1 Posteritas, nostrae si vis incommoda vitae
 2 scire, hoc pelecto carmine, scire potes.
 3 Hypra dedit nobis primae incunabula lucis,
 4 tam procul a Latio barbara terra solo,
 5 nobilis haud uno pannos intingere succo,
 6 quos eadem artificii texuit ante manu.
 7 Floret enim studio textricis sacra Minervae
 8 Hypra sub occidui frigore nota poli.
 9 Hic ego Flandrorum mores studiumque sequutus,
 10 vix vitae attigeram jam duo lustra meae
 11 cum procul Hyprensi Gandavum ablegor ad urbem
 12 quae tredecim patria milia distat humo,
 13 excolar ut Latiis non infeliciter illic
 14 artibus, ad ripas, Lyzia sancte, tuas.

15 Hoc etenim Flandris studium commune, suorum
16 artibus ingenium percoluisse bonis.
17 Praecipuas et opes artes Musasque putare
18 quas patre defuncto natus habere queat.
19 Nam quaecumque alias succedens occupat heres
20 aut procul extensi jugera lata soli,
21 aut vestes gemmasque graves tabulasque vel aurum,
22 sculptaque Mentorea pocula docta manu :
23 fortunae debemus et illius omnia pendent
24 nutu, nec veris annumeranda bonis.
25 Ingenuae tantum, quavis re certius artes,
26 cum Domino stabili conditione manent,
27 scilicet ut civem pellat vis dura Tyranni,
28 qui rapiat patrias vi truculentus opes :
29 exsilii comites artes Musaeque sequentur,
30 hostiles solae nec timuere minas,
31 solamenque mali, famam nomenque parabunt,
32 adveniens quod non obruat ulla dies.
33 Haec ego spe ductus Latias Flandro ore figuro
34 voces, Romane subdidicique loqui.
35 Et placuit linguae puero veneranda Latinae
36 jam tum majestas non mihi nota satis.
37 Vix bene per proprios ducebam nomina flexus
38 verbaque temporibus singula tracta suis,
39 quando mihi teneri vel solo nomine vates
40 non intellecti carminis arte placent.
41 Si mihi quid pater aut mater non dura dedisset
42 aeris, erat lucro, bibliopola, tibi.
43 Nunc mihi Nasonem pretio quocumque parabam,
44 nunc te cum sociis, docte Tibulle, tuis.
45 Praecipue dulces numeros venerabar Horati,
46 queis canit Ausonia carmina culta cheli.
47 Coepi etiam tentare modos et verba coegi
48 strideret ut misera carminis umbra lyra.
49 His studiis solidos transegi quatuor annos,
50 quinto Lovanium me jubet ire pater.
51 Hic totidem juri discendo traximus annos
52 quae tamen (ut fatear) non placuere mihi.
53 Impulsu tantum patris his quandoque vacabam,
54 sic tamen, ut Musis tempora multa darem.
55 Quinquaginta adeo digesta volumina libris
56 obruerant animum terruerantque meum,
57 cum lex nulla foret quae non interprete multo
58 horreret variis dilacerata modis.
59 Post etenim Accursi glossemata barbara, quae non
60 undique barbaries legibus incubuit ?
61 Bartholus et Baldus Paulusque triumphat et Azo,
62 et nebulis leges et sacra jura tegunt.
63 Queis obstricta horrent praetorum edicta latentque
64 divinae leges, ut via saepta rubis.
65 Sic ea quae veterum eloquio praeclara nitebant
66 nunc sunt obscuro semisepulta situ.
67 Quae superanda tamen patris parere volenti
68 imperio ingenium detinuere meum.
69 Et jam sparsa mihi prima lanugine barba
70 velabat teneras rara levisque genas,

71 ad Gallos mittor quorum Dubis aureus agros
72 dividit ad muros, Dola beata, tuos.
73 Hic jungenda fuit studio mihi Gallica lingua
74 juris ad hoc tempus non bene nota mihi :
75 ised est nobis annis percepta duobus.
76 Hic primum coepi discere quid sit amor.
77 Hic primum didici Dominae servire superbae
78 et nullo prorsus vivere consilio.
79 Hic coepi lacrimas precibus miscere Lycemque
80 nostram non siccis sollicitare genis
81 et gravia ex imo suspiria ducere corde
82 et saepe in cursu quaerere verba suo
83 rusque probare nemusque sequi silvasque virentes
84 et dare praecipiti verba ferenda Noto
85 et faciles tenerae mores laudare puellae
86 cum quicquid placeat, si facit illa, placet.
87 Sed nec erat mansurus amor genitorque coegit
88 cum Dola curas deseruisse meas.
89 Vix tamen avulsus Dolamque ignesque reliqui,
90 queis tetigit nobis pectora primus amor,
91 mox totam vagus Italiam transcurro per Alpes
92 vectus, Bernhardi qua juga summa jacent.
93 Hic alios hominum mores diversaue nostris
94 expertus mores ingeniumque fui.
95 Hic nec ut in patria licuit servire puellis
96 illis cum carcer sit sua cuique domus.
97 Nec sermone licet solis, sine teste, coire,
98 nec solita Belgis simplicitate frui.
99 Omnia sunt suspecta, joci, convivia, templa,
100 est vitio sermo, sunt choreae atque joci :
101 Dii melius Belgis. Nobis pudor absque timore
102 perstat et ut liceat, non lubet esse malas.
103 Ipsa sui merces Virtus pretiumque putanda est,
104 non bene constringit libera corda metus.
105 Hic ego nequicquam veteres suspiro calores,
106 et laudo vultus ingeniumque Lyces,
107 illa tamen longo discessit tempore cura
108 et vacuum saevo pectus amore fuit.
109 Namque prior postquam nobis languescere coepit
110 ignis et in cinerem flamma soluta fuit :
111 Italiae mores, alios ne secter amores
112 suadent, et faciunt liber ut esse velim.
113 Nam nec erat tutum Dominam regionibus illis
114 (ut sit quae placeat discupiatque) sequi :
115 observant pater aut fratres aut aspera mater,
116 aut senior comitum turba molesta foris
117 claustra domi, vigilesque canes saevaeque catenae,
118 quas cudit genitus suspicione timor,
119 illis saepe femur niveum livore puella
120 et tenerum questa est obstupuisse latus.
121 Quid tibi cum claustris, quid cum, Romane, catenis ?
122 Ingenio probitas cuique tuenda suo est.
123 Quid tibi cum canibus vel anu ? Custodia nulla
124 certior est quam si sit proba sponte sua.
125 Claustra serasque aperit pretium ruptique catenas
126 pane canis, vino mota tacebit anus.

127 Juppiter inclusam Danaen corruptit adulter,
 128 auro dum cupidos pandet avara sinus.
 129 Nil Romanus agit ? Quo non irrumperet aurum ?
 130 Omnia dant donis muneribusque locum.
 131 Abstinui tamen et Romana liber in urbe
 132 nullius penitus captus amore fui.
 133 Nec mihi cura fuit pretio tentare periculum,
 134 aut pallere gravi nocte dieque metu.
 135 Coepi igitur studium juris tentare relictum,
 136 tempora cum Musis fallere multa meis
 137 perreptare frequens totam antiquarius urbem,
 138 mirari veterum marmora rupta ducum.
 139 Nec minimam partem traxit sibi saepe diei
 140 Muretus, Latio dum Cicerone tonat.
 141 Saepe etiam tota perlustrans sedulus urbe
 142 templa Deum lassus, non redii inde pius.
 143 Namque hic quae toto vix conspiciuntur in anno
 144 quaeque domi clausae matre jubente latent,
 145 saepe videre licet teneras errare puellas :
 146 libertas templis haec datur una Deum.
 147 Hic videas igitur sacris advolvier aris
 148 et trepide castas ingeminare preces,
 149 queis ego, dispeream si possim Juppiter esse
 150 si non efficiam vota, precesque ratas.
 151 Nam quis tam pulchro ore non exorabitur ore !
 152 Quis niveas stupida negligat aure manus ?
 153 Illarum est oculis visus latitare Cupido
 154 atque imprevisa spargere tela manu
 155 hic habitare putes Venerem, et potiore reperta
 156 sede, suam prorsus deseruisse Paphon.
 157 Et pudet et fateor me tam mirabile formae
 158 oblitum voti, constupuisse decus
 159 et quamquam precibus meditabar flectere Divos,
 160 abruptis medias visa puella preces,
 161 ut fateor crimen, sic vos ignoscite fasso,
 162 quorum sub pedibus sidera clara micant,
 163 saepe interruptas qui me vidistis hianti
 164 ore, vel invitum, destituisse preces.
 165 Non tamen ulterius quam conspexisse puellas
 166 scitis et ex templis liberum abisse domum.
 167 His ego dum studiis horas et tempora fallo
 168 et videor felix conditione mea,
 169 nuntius adfertur qui me studiumque quietem
 170 dulciaque (eheu !) Musis otia nube tegit.
 171 Qui mihi restabat genitor, spes una salutis,
 172 quo salvo nobis cetera salva domi,
 173 eripitur morbo consumptus, tempore certe
 174 non illo nobis eripiendus erat.
 175 Una fuit morbique et mortis epistola nobis
 176 index. Num lacrimas me tenuisse putes ?
 177 Tecum nostra domus tecum cecidere penates
 178 et spes si qua fuit, tota sepulta jacet.
 179 In patria primis defunctus honoribus apte,
 180 culmen eras propriae praesidiumque domus.
 181 Te fortem firmumque animi Respublica sensit,
 182 cum fuit adversis exanimata malis.

183 Nam cum Flandrorum pingues irrumperet agros
184 Francus et agrestes diriperentur opes,
185 lucerent late Dunquerquia litora flammis
186 et Berga in cineres tota redacta foret,
187 consule te, quamvis compleret cuncta tumultus
188 hostiles tantum pertulit Hypra minas.
189 Et spoliis praedaeque gravatos arcuit hostes
190 moenibus immunis seditione domi
191 atque iterum, cum plebs fureret insana, Deorum
192 erueretque aras ejiceretque focos,
193 obstitit et quantum potuit, Virtute repressit,
194 verum habuit cursum pestis acerba suum,
195 non cessit precibus pater hic pretiove minisve :
196 perstitit invictus par similisque sui.
197 Et quamquam totus jam paene labasceret ordo
198 patricius caeco conciliumque metu,
199 non tamen accessit, reliquos quo cogere posset
200 aut timor aut vanis spes animata bonis.
201 Sed quo, care parens, tua quo praeconia dicam ?
202 Non facit ad laudes Rustica Musa tuas
203 et quo virtutis magis obversatur imago,
204 tanto animum gravior cura metusque coquunt.
205 Praeter opes (quarum fuerit cum copia tanta)
206 non decus ex vobis divitiasque peto
207 ut gemini quivis juris ducatur honore
208 quod decus ex Musis provenit, illud amo.
209 Pallentes audire reos dicique patronus
210 nolo, nec in causis nomen habere volo.
211 Ampla pater mihi rura meus tum certa reliquit
212 et non ingratae fertilitatis agros ;
213 his ego contentus, nec opes nec nomina quaero
214 et videor felix condicione mea.
215 Haec procul a patria tacite plerumque retractans
216 Italiae fines deseruisse placet.
217 Ante tamen Romae mentem lustrare Deoque
218 cura fuit castas sacrificare preces.
219 Tempus erat quo sacra aperit Romana Sacerdos
220 Summus et a sceleris pectora labe lavat
221 et meritis Christi culpas noxasque remittit
222 condonans natis crimina cuncta suis.
223 Quod veterum vidit tantum centesimus annus,
224 lustra licet nobis quinque peracta ferant
225 vita hominum brevis et tam multo crimine fervens
226 contraxit spatium sic brevior rota.
227 Quos ego non vidi populos concurrere in urbem,
228 qua non excitos ex regione viros ?
229 Adfuit extremo si quem tenet aequore Thule
230 quique vident primum, Sole oriente, diem,
231 quique adversa premunt pedibus vestigia nostris,
232 et si quis Christi numen in orbe colit.
233 Non adeo infaustos damnavit caeca Britannos
234 haeresis extremi pestis acerba mali,
235 nullus ut ex illis Romam concesserit oris
236 hospes, habet sanctos insula clara viros.
237 Vidi habitu linguaque alios aliosque colore,
238 unum supplicii sollicitare Deum,

239 quilibet in sanctam clamet temerarius Urbem
 240 et mores Patrum luxuriamque notet,
 241 et sacra divendi fingat, quae negligit, auro,
 242 et male dicendo nomen habere velit :
 243 falsaque criminibus subtexit crimina veris,
 244 atque uno ponat fasque nefasque loco,
 245 non ita paucorum vitiis offendar ut omnis,
 246 eximio nullo, sit reus ordo mihi.
 247 Pars major Virtutis amans, labecula si qua
 248 haesit, ut est hominum subdita vita malis,
 249 eluit et vera late pietate relucet
 250 sinceraque Deum religione colit.
 251 Sed quid agas ? Virtus splendore offendit inertes
 252 ingratus lippis Solque diesque venit.
 253 Quae nequeant vivendo sequi, culpae laborant
 254 invidia certe gloria nulla vacat.
 255 Si quis nos superet longeque a plebe recedat,
 256 ad male dicendum sedula turba sumus,
 257 nimirum sapimus, multo proclivius illud
 258 quam, quae culpamus, despiciamusque sequi.
 259 Vos tamen, o proceres, salvete Heroica corda,
 260 vestra quidem vobis gloria certa manet.
 261 Nequicquam rauco livor commurmurat ore
 262 portentum infelix et sine lege malum.
 263 Vestra mihi virtus stimulos ignesque reliquit
 264 qui mentem inflamment exacuantque meam.
 265 Vos quamquam longo sequar attamen intervallo
 266 Romanoque Deos more fideque colam.
 267 Seducant alios paucorum crimina, numquam
 268 tam facili evincar condicione reus,
 269 ut veterum praecepta Patrum ritusque relinquam
 270 Romanamque velim deseruisse fidem.
 271 Illa caput Christum princeps habet, anchora Christus
 272 ipse suae navis certa potensque manet.
 273 Irrumpant venti tempestatesque sonorae,
 274 nil equidem moveant, ancora jacta sacra est
 275 haeresiarcharum veterum commenta Lutherus
 276 eruat ex tenebris incutiatque Notos
 277 Calvinusque et Beza alia ratione profundum
 278 late conturbent, disjiciantque mare,
 279 ista suo perstat ratis imperterrita Christo,
 280 ancora hic est caecis perfugiumque malis.
 281 Nulla salus extra navem est, tutissimus intus
 282 despicias tumidi murmura rauca maris.
 283 Haec ego majorum praedoctus voce, salutis
 284 deposui in Petri spemque fidemque rate.
 285 Et quo more graves culpas noxasque piamus,
 286 confiteor vitae crimina cuncta meae.
 287 Nec satis id, Divae voveo multo ante tabellam,
 288 quae Lauretanos Virgo tuetur agros.
 289 Ut salvum sanumque suis si sisteret aris
 290 me post longinqua multa pericla viae
 291 acciperet, quamvis non culti carminis, hymnos
 292 grati animi certas ingenuique notas.
 293 Tutior hac duce vectus equo, vada caeca cavaeque
 294 trajicio valles saxaque onusta nive.

295 Tandem solvo meas, post taedia longa viarum,
 296 in Lauretanae Virginis aede preces.
 297 Carmina pauca reus voti descripta tabella
 298 suspendo ad muros, uberiora domi.
 299 Pollicitus, si me salvum deduceret Hypras,
 300 et sane pietas profuit illa mihi.
 301 Nam cum lapsus equus medio subsideret alveo,
 302 et vi torrentis corriperetur aquae,
 303 adfuit illa mihi praesens, frenoque reflexo
 304 restituit ripis eripuitque vado.
 305 Quas tibi pro merito tali, quo carmine, grates
 306 exsolvam, vitae Virgo patrona meae ?
 307 Filius aetherea Christus miseretur ab arce
 308 nostri, intercessu, Virgo Parensque, tuo.
 309 Quid tibi nempe neget, de cujus sanguine carnem
 310 et verum, ex vero corpore corpus habet ?
 311 Cujus et ex casta sufflatu Flaminis alvo
 312 prodiit, illaesa virginitate, puer ?
 313 Quem tu nectareo nutristi pectoris haustu,
 314 fovisti tepido mater amica sinu ?
 315 Et mihi praeterea quisquam tua nomina fastis
 316 deleat ? Aut aras numen habere vetet ?
 317 Et mihi praeterea quisquam neget esse precandam ? Et
 318 dicat apud Natum juris habere nihil ?
 319 Haec mihi praesenti fuerit tutela periculo,
 320 et non devoto numina corde colam ?
 321 Haec me prolapsam mediis eduxerit undis
 322 et non sim tanti muneris usque memor ?
 323 Ah peream potius, numquam de mente recedet
 324 auxiliatricis forma habitusque Deae.
 325 Hac duce florentes Italum transivimus urbes
 326 quas foret immensus dinumerare labor.
 327 Donec caeruleis me exceptit Larius undis
 328 qui Comi placida moenia stringit aqua.
 329 Frugiferos colles dextra levaque relinquo
 330 quos Bacchus colit et Pallas et alma Ceres.
 331 Hic habui ventos tempestatesque secundas,
 332 dum tetigi medii littora curva lacus
 333 queis dum nos biduo fluctus auraeque morantur,
 334 exiguae subii tecta caduca casae,
 335 dumque aequor ventique graves undaeque residant,
 336 exceptum hospitio sedula curat anus.
 337 Et faciles expromit opes Cereremque oleumque
 338 et de vicino fercula multa lacu.
 339 Adfuit et Bacchus curarum pulsor et auctor
 340 quem fundit nivea pulchra puella manu.
 341 Quid faciam ? Me flava comas oculosque micantes
 342 virgo potens Belgam semi Alemanna rapit.
 343 Saevus amor gaudet solitas in pectore flammam
 344 crescere, et hic meus est, en fugitivus, ait,
 345 Romanos patiar facilis contempserit ignes,
 346 dum face Germana semi Italave fluat.
 347 Dixit et ex illo sensi succrescere flammam
 348 tempore, dura aliis est mora grata mihi.
 349 Saepe quidem ventos ego sum fluctusque precatus,
 350 ut vellent cursus impediisse ratis,

351 interea mea Fauna pedes succincta decentes
352 nudaque substricta brachia veste, venit
353 et summos teneris audet contingere fluctus
354 plantis, optavi Larius esse lacus,
355 felicemque adeo dixi qui crura puellae
356 lamberet et tacita multa videret aqua.
357 Nescio quae mediis mihi visa calescere ab undis
358 fax, ortam Venerem nunc ego credo mari,
359 interea livens anus observare puellam
360 caepit et accessu me prohibere suo
361 sed sic, ut quamvis oculis praemortua lippis
362 omnia lustraret despiceretque domi,
363 non posset tamen accensas extinguere flammam
364 si lacus inflatas non posuisset aquas.
365 Aura secunda vocat succlamat navita noctu,
366 surgite vectores, aura secunda vocat.
367 Vox ingrata mihi stratis non eripit, et vix
368 Fauna, vale, dixi, nos gravis aura rapit.
369 Navigium scandit corpus, mens litore perstat.
370 Quam cuperem adversos vela ferire Notos !
371 Jamque aurora diem vicinum praevia monstrat,
372 et tremulis Phoebus lumina spargit aquis
373 turgentes lacrimis oculos ad litora flecto
374 mentem ubi servabat rustica Fauna meam.
375 Sed levis aura ratem longe de sedibus illis
376 vexerat et nusquam litora grata patent.
377 Labimur ah ! ventis nimium nimiumque secundis
378 donec in adversas Addua fertur aquas,
379 Addua caeruleis occurrens discolor undis,
380 navigiique latus debile tundit aqua.
381 Nitimur adductis amnem superare rebellem
382 tonsis, atque aura ex puppe secunda fuit.
383 Quae crescens subito malumque et carbasa rumpit
384 maximus haec liquidis Larius haurit aquis.
385 Pallet nauta tremens, mihi jam virgo altera menti
386 occurrit dubiis saepe probata malis.
387 Est lacus in navi, vix est spes ulla salutis :
388 Virgo fave, dixi, nosque, age, solve metu.
389 Illa favet solvitque metu navemque procellis
390 eripit et dubiis optima rebus adest.
391 Helvetios posthaec montes vallesque recurvas
392 et loca silvosis aspera cerno jugis
393 membraque Rhaetorum patrio conformia caelo,
394 duraque sed tali corpora digna loco.
395 Hic vir et hirsuto pluvias contemnit in urso
396 et sequitur jaculis femina docta feras
397 inque sinu catulos, occisa matre, luporum
398 fert puer atque suae munere pultis alit.
399 Tandem nos Rheni incumbens Basilea bicorni
400 excipit aeterna urbs me memoranda typis,
401 aeternis memoranda typis, queis docta supersunt
402 scripta virum et nullo sunt peritura die.
403 Vidimus hic magni cineres reverenter Erasmi
404 et docti tumulum, marmor inane, viri
405 ipse sibi quovis praestantius aere sepulchrum
406 edidit et libris fama superstes erit.

407 Hinc rapimur faustis ventis, atque amne secundo,
 408 Agrippinenses dum videamus agros,
 409 hic ego non repetam colles, et collibus arces
 410 impositas passim nobiliumque domos
 411 non urbes ripis laeva dextraque jacentes
 412 quas lavit adfusa Rhenus amicus aqua,
 413 non turrem medio (quis credat !) stare profundo
 414 quae frangat fluvii despiciatque minas.
 415 Non in vicinis generosas vitibus uvas
 416 et loca quae Baccho dixeris esse sacra,
 417 non alia his majora, isto quae plurima tractu
 418 vidimus, et foret hic longa referre mora.
 419 Hoc tantum adjiciam prolabi flumine Rhenum
 420 sic inter lymphis proxima vina suis,
 421 ut credas geminis Nymphas considerare ripis,
 422 nec velle optatum deseruisse vadum,
 423 quo Semeles natum quondam tinxere recentem
 424 cum caesa, ambustus, fulmine matre, foret,
 425 nusquam etiam Bacchus gratis discedit ab undis
 426 longius, at ripis proxima quaeque tenet
 427 et vestit montes generosi munere vini,
 428 sic gratus Nymphis, Rhene, Deoque fluis.
 429 Utile quam foret hoc populos meminisse feroces ?
 430 Temperet, ut flammis Nympha, o Iacche, tuas.
 431 Non toties mixto Rhenensia vina ruberent
 432 sanguine, nec toties caede caleret humus,
 433 dum levis ebrietas in proelia trudit et iras,
 434 et plebs admissio promptior igne furit.
 435 Sed gemini tandem linquentes flumina Rheni
 436 Juliaci pingues praetereamus agros.
 437 Hic ego dum silvas late incommitatus oberro
 438 vidi ego, quae facta caede caleret, humum.
 439 Silva latrociniis hic est infamis et omne
 440 infestat gaudens sanguine praedo nemus.
 441 Anne putem gressum tum direxisse clientis
 442 et famulo tutas exhibuisse vias
 443 Christiparam Marien ? Certe tutela mearum
 444 illa fuit rerum praesidiumque mihi,
 445 tandem Trajectum claram pervenimus urbem
 446 quam Mosa conspicua praeseecat altus aqua ;
 447 creverat hic pluviis ripasque excesserat audax
 448 sed reor hunc clades praetimuisse suas.
 449 Vicinas urbis clades praesagiit amnis
 450 nec tenuit lacrimas terra polusve suas,
 451 dum sequitur partes urbs inconsulta rebelles
 452 et negat Hispanum sustinuisse jugum,
 453 armis magnanimi concessit victa Philippi
 454 dum propugnator desidet ante focum
 455 deliciasque facit cum vestali : ite, rebelles,
 456 fidite tam claro conspicuoque duci.
 457 Ille suos facilis clades deducet in omnes,
 458 sed numquam videas deseruisse domum.
 459 Nimirum sapit et jam dudum callida vulpes
 460 Belgarum didicit simplicitate frui.
 461 Idque puto lacrimis clarus praesagiit amnis
 462 et pluvia in septem continuata dies.

463 Postea Eburonum celebrem sum vectus ad urbem,
 464 visendi studium quod mihi suasit iter.
 465 Cum posset brevior alias Antwerpia cursu,
 466 sed quae visa esset saepius ante, peti.
 467 Vidimus hinc magnam Bruxellam urbesque superbas
 468 quas claudit largo Belgia clara sinu.
 469 Belgia sed quantum nunc distat Belgia ab illa,
 470 quam Francus toties sensit habere manus,
 471 dum levis infausti tentat certamina Martis,
 472 nec nisi per fraudes insidiasque valet.
 473 Nunc impune ruens agros populatur et urbes
 474 scilicet avectus seditione nova.
 475 Post duo lustra quidem patrias pervenimus Hypras :
 476 excipit hospitio mater amica suo.
 477 Protinus obruimur miseri civilibus armis
 478 dum passim vulgum tristis Erinnyes agit.
 479 Hesperii Regis concesserat haeresis armis
 480 cornuaque Auriaci fracta rebellis erant,
 481 nec mare Zelandos neque fecerat insula tutos
 482 virtuti per aquas et mare parta via est.
 483 Sed quorum arma virum non tardavere furentes
 484 fluctus, insano aut insula cincta mari
 485 dissolvit praeceps discordia, et omnis ab hoste
 486 in socias urbes ira furorque cadunt.
 487 Antwerpia heu flammis late infelicibus arsit !
 488 Quod non hic ausa est militis ira scelus ?
 489 Terra cadaveribus jacet obruta, sanguine Scaldis
 490 admixto aequoreas discolor auget aquas,
 491 non sua virginibus cognata modestia prodest
 492 quae posset tigres edomuisse feras,
 493 non senibus pietas, non maesta pignora matri,
 494 condita sub tepido pignora cara sinu,
 495 non aurumve precesve viros tutantur ab hoste.
 496 Orantes vitae tempora justa suae
 497 una clade ruunt mulier puer atque maritus
 498 et validi juvenes invalidique senes ;
 499 et fuit uberibus quae telo affixa cruento
 500 pignora deferret mater onusta domum
 501 atque ante ora viri tenues difflaret in auras
 502 infelicem animam, praemoriente patre.
 503 Urbe eversa atrox pestis grassata per agros
 504 opprimit agricolas et sine fraude viros
 505 Austriacus donec veniens ab Rege Philippo
 506 sustulit adventu bella cruenta suo
 507 optatamque dedit pacem stabilemque quietem
 508 quam tamen instabiles non voluere Status.
 509 Appellare suos Proceres sic pessima vulgi
 510 spurcicies solita est nobilitate pares !
 511 Huc etenim coeunt foedae expurgamina plebis,
 512 (hos habet, hos sequitur vulgus amatque Status)
 513 Non voluere Status oblata a Rege Philippo,
 514 qui posset armis cogere, pace frui.
 515 Arma omnes, arma, arma volunt, scelerum quia largam
 516 materiem, belli tempore, miles habet.
 517 Istis Auriacum nostram risisse focumque
 518 aut oleo aut flatu nonne aluisse putem ?

519 A nido sic nempe suo cautissima vulpes
 520 miro astu in socios transtulit arma suos.
 521 Auriacum junxere Status sibi foedere firmo ;
 522 quique hostis fuerat, fictus amicus adest ;
 523 namque dolo simulat se relligionis avitae
 524 velle incorruptum continuare statum
 525 atque sacramento sanxit promissa caduco et
 526 jurat quos fallat lingua profana Deos.
 527 Paulatimque bonos movet ordine, sufficit illis
 528 fraudibus adsuetos criminibusque viros ;
 529 si quem vita nocens patriis exegerat oris
 530 portantem tergo publica signa suo,
 531 seu quod adulterio infami flagraverat olim,
 532 seu proprii jugulum solverat ense patris,
 533 sive quod illicita vitiaverit arte monetam
 534 sive suas viduis eripuisset opes :
 535 hos amat Auriacus revocatque augetque Senatum
 536 talibus insignem conspicuumque viris.
 537 Namque boni vel sponte sua cessere Tyranno
 538 et subeunt Regis castra secunda sui,
 539 aut pulsi haereticis armis et fraude vagantur
 540 et subita vitae consulere fuga,
 541 aut specie illecti, tamquam pax rupta coiret,
 542 annis carceribus delituere tribus.
 543 Auriaci ista fuit, sed dissimulata, voluntas.
 544 Invidiam a tanto crimine Ganda tulit.
 545 Ille habuit fructus facti longeque remoto,
 546 si quis erat patriae relligionis amans,
 547 principibusque viris damnatis carcere caeco,
 548 tandem animo larvam detrahit ipse suo.
 549 Tempora arasque Deum evertit, mox sacra profanis
 550 miscet et ex spoliis mobile vulgus alit.
 551 Gorduni, quaecumque jubet tentare Tyrannus,
 552 efficiunt et per fasque nefasque ruunt.
 553 Quid tibi nempe negent cui cor mentemque dederunt
 554 Gorduni excordes, saeve tyranne, tui ?
 555 Mittis ad Hyprenses legati nomine cives
 556 sed suspecta bonis fraus tua et astus erant,
 557 nam quos optatae specioso nomine pacis
 558 decipis, ad clades et nova bella trahis.
 559 Principio fraudi felix non credidit Hypra,
 560 cum res antiquo est publica recta modo.
 561 Quod simul advertit vulpes astuta, dolebat
 562 atque alia tentat nos superare via.
 563 Mittit qui fidei ritus retinebat avitae
 564 rectorem. Hyprenses quis tueatur agros,
 565 quid miseri faciant cives ? Fuit ille receptus
 566 urbs ne perpetua fraude petenda foret.
 567 Ante diem mutat veterem scribitque Senatum,
 568 quo tandem pereat flebilis Hypra, novum.
 569 Nec satis id ; creat ille novum quod cuncta gubernet
 570 concilium idque vocat quinque Decemque viros.
 571 Nec mora, dimissis ducibus, queis prompta juvenus
 572 paret, (pars quorum quantulacumque fui)
 573 substituit quorum nec erat mens sana nec aptum
 574 ingenium, dubios arte cavere dolos.

575 Quod simul effectum est, parta est victoria vulpi ;
 576 illa urbem incautam, fraude latente, capit.
 577 Nil enim inaccessum est aut insuperabile fraudi,
 578 praecipue juncta seditione domi.
 579 Hostis habet muros captaque vagatur in urbe :
 580 sub priscis ducibus non ita capta foret.
 581 Ante animam tenues efflavissemus in auras
 582 nostrarque per caedes Hypra petenda foret ;
 583 sed simul aspiciens, Capitolia celsa videbam,
 584 (opposita haec laribus namque fuere meis)
 585 offert sese oculis antiquae tessera dispar :
 586 sanguinis ante fuit, nunc color albus erat.
 587 Ira animum pungit varie, furor arma dedisset,
 588 quamvis vel triplici vulnere tardus eram.
 589 Verum hostis capta jam stabat in arce superbus
 590 fixerat et medio signa inimica foro.
 591 Jamque bonis passim dilapsis undique plebis
 592 faex coit et socias jungit ad arma manus.
 593 Spes praedae scelerumque admissa licentia vulgus
 594 excitat, ad spoliū vir mulierque ruunt.
 595 Ante tamen Proceres clauduntur carcere, quorum
 596 obstiterat primis sollicitudo dolis.
 597 His comes adjicior, quamquam non tota coissent
 598 vulnera adhuc medici saepe fovenda manu.
 599 Sustinui haec nuper Divae quo tempore Clarae
 600 sunt defensa mea proxima templa manu.
 601 Irruerant equites media de nocte, minati
 602 urere virginibus septa dicata sacris.
 603 Non ego sum passus, comitum me turba sequuta est,
 604 trajectum est triplici sed mihi glande latus
 605 vulneribus fuerat nec adhuc obducta cicatrix.

LIBER SEXTVS

M6_1 v.1 [LACUNE] ... initium carminis deficit
 2 [LACUNE]
 3 Stricto plurima ferro
 4 Francis vulnera praeparans.
 5 Talem virgo sua ex moenibus aspicit
 6 portendens duplices ad Superos manus,
 7 successusque precatur
 8 faustos ac reditum brevem.
 9 Subdit Bultelius calcar equo levi,
 10 qui campos rapida verberat ungula
 11 et post terga sagittis
 12 missis ocior evolat.
 13 Qua se praecipitem fortis eques dedit
 14 late fit via, nec se cunei tenent,
 15 haec seu sit fuga vera,

16 seu (quod crediderim magis)
 17 istis illecebris insidias parent
 18 incauto juveni, quem sua proxime
 19 his succedere cogit
 20 virtus in laqueos datum.
 21 Consurgunt latebris undique turpibus
 22 hostes et jaculis unius in necem
 23 conspirant et in unum
 24 torquent tela manu caput.
 25 Sic quondam Libycis magnanimus leo
 26 circumseptus agris cingitur undique ;
 27 Getuli agmine facto
 28 adsunt cum jaculis truces ;
 29 telis icta furit belua saevior
 30 et qua pila jacet turba frequentior,
 31 caude verbere tergum
 32 mulcens, irruit : illius
 33 clausus Bultelius saevit imagine,
 34 et qua turba locum densior occupat
 35 illac destinat idem
 36 secum aut effugere aut mori.
 37 Obsignat generosum cruce pectus et
 38 frontem et terribilis cum gladio ruit,
 39 sed letale recepit
 40 vulnus, dum ferit et fugit.
 41 Cervices niveae purpureo madent
 42 rivo sanguinis, ut si violaveris
 43 adfusa nivei vi,
 44 marmorve aut ebur Indicum.
 45 Non doctae medicorum auxilium manus
 46 non adferre preces virgineae queant ;
 47 saevo vulnera tabo
 48 exstinguunt decus inclytum
 49 Martis. Macte animo, frater, ad astra sic
 50 itur ; sola manet sanguine gloria
 51 fuso parta. Beatus
 52 quem non degeneri nece
 53 febris lenta domi, cum gemitu, opprimit.
 54 Vita est vera bonis pro patria mori,
 55 o praeclare Philippe,
 56 o numquam mihi mortue.
 57 Mors sit flenda tuis ista sororibus
 58 et matri vetulae, non ego flevero :
 59 partam morte coronam
 60 aeternam invideam magis.
 61 Deflebit lacrimis te tua Margaris
 62 veris et cineres compositos humi
 63 largo fonte rigabit,
 64 nec parcat roseis genis.
 65 Bappalmae exiguo si tumulo jaces,
 66 sic fratrum reliquorum tibi marmore
 67 exornare sepulchrum
 68 quo sculpantur imagines
 69 et praeclara tibi gesta domi et foris
 70 pugnataeque tua pro patria graves
 71 pugnae et pulchra trophaea ;

72 non sunt haec meritis tuis,
 73 (non si Praxiteles sculpserit aut Scopas)
 74 frater, digna : dies marmora diruit
 75 et conscripta metallo
 76 lapsu temporis exedit.
 77 Mausolaea tibi sunt tua vulnera
 78 quae pro Rege tuo passus es et Deum
 79 aris atque focus, nec
 80 est quod marmor et aes petas.
 81 Si celata tamen subsidiis eget
 82 virtus et minimum distat inertiae
 83 doctis sunt tua Musis
 84 non vulgaria proelia
 85 decantanda : etenim si faveant tibi
 86 Musae, nulla dies eluerit decus
 87 penna non moritura
 88 chartis quod semel illitum est.
 89 Hic si quid studium proficiat meum
 90 et si quid faveant Pierides, tibi
 91 totum rite dicabo
 92 et fratrem ante alios canam.
 93 Et si, post cineres pars potior manet
 94 nostri et mens avidos una fugit rogos,
 95 non ingrata, Philippe,
 96 nostra haec carmina sint tibi.

AD ANTONIVM MEIERVM

M6_2 v.1 Debebam tibi pro tuis libellis,
 2 queis tricorporeum relambis Ursum
 3 dum praeclara sacri canis Vedasti
 4 domi gesta forisque quae latebant ;
 5 nunc, te vindice, totus audit orbis,
 6 totus et canit et legit Vedastum ;
 7 debebam tibi pro tuis libellis,
 8 sed nunc debeo pro meis libellis
 9 quos purgare locis quibus decebat
 10 non gravatus es et polire docte.
 11 Debent ergo mei tibi libelli,
 12 debeo tibi pro meis libellis.
 13 Nam quae, Mejere, menda subnotasti
 14 irrepsere gravi tui Poetae
 15 prorsus segnitie oscitantiaque,
 16 cui, dum nil, nisi vina cantharosque
 17 cantat aut epulas cupediasque,
 18 ipsa haec ebrietatis est imago :
 19 dum mens in cyathis, manus papyro est
 20 pingendis facile in notis aberrat.
 21 Vos qui sobria mane perpolitus,
 22 haec quae sunt male sobria aut polita,
 23 excusate nec ebrium notate :
 24 sic numquam sitiabis et Camenae
 25 vobis sint faciles sed o libelli
 26 si qua reddere gratias patrono
 27 possetis, cuperem pares referri,

28 sed nil illi opus est rudi Poeta
 29 viventi arte sua quoque <arte> Martis.
 30 Sed quid vos dabit, mei libelli,
 31 vestro, quid dabit, precor, patrono ?
 32 Qui vos expoliit domumque misit
 33 et cum veste nova et novo nitore ?
 34 Quanto illi magis, hoc minus parenti
 35 debetis, tamen estis infaceti,
 36 nec est Mejerus, ut cani laboret
 37 scabri carminis ore et infaceti.
 38 Hoc unum superat mihi que restat,
 39 pro vobis toties id illi in aurem,
 40 aut clamare palam, audiente mundo :
 41 debebam tibi pro tuis libellis.
 42 Sed nunc debeo pro meis libellis,
 43 hoc dicam toties palamque clamque
 44 vos lector quoties bonus probabit.

AD ANTONIVM MEIERVM

M6_3 v.1 Vale jocosae chorda loquax lyrae,
 2 jam jam patrisso, jam mihi serius
 3 ad crescit, et probat Loysa,
 4 vultus et aspera frons severis
 5 contracta rugis, nescio quomodo,
 6 patrem loquatur vel patru sapit
 7 mores minacis ; nec Lyaeus
 8 nec rosa, nec violae suaves
 9 dulcesve rixae cum grege virginum,
 10 jucunda quondam proelia, nunc placent.
 11 Mutata sunt, mutata prorsus
 12 omnia, Mejere docte, nobis.
 13 Manusque quondam callida virginum
 14 nudare rupta veste papillulas
 15 sinumque pertentare furtim
 16 aut digitos spoliare gemma,
 17 nunc en ministrat, Mejere, fascias
 18 queis vagientis crura Loysulae
 19 mammosa nutrix vinciat, dum
 20 hinc socrus, inde Loysa rident.
 21 Mox et resolvunt, quam mihi nudulam
 22 sinu reponant ; non ego talium
 23 rerum peritus cum timore
 24 excipio gremioque condo,
 25 siccare tento dum lacrimis manu
 26 parvae Loysae, Mejere, crede mi,
 27 adspergit urina parentem
 28 insolitum liquidoque ventris.
 29 Scis quid sequatur, Mejere candida.
 30 Sunt haec parentum gaudia ? Mejere,
 31 habet torus sic conjugalis
 32 plus aloesque minusque mellis.
 33 Reposta cunis namque Loysula
 34 putas tacebit ? Vagiet hic mihi
 35 sunt fune cunae concitandae

36 aut pede continuo movendae
 37 aut voce sabra barbara carmina
 38 inusitato more quidem mihi
 39 cantanda, donec parva tandem
 40 dormiat aut taceat Loysa.
 41 Sed credo posthaec, dum mihi riserit,
 42 horum laborum paeniteat minus.
 43 Pendebit a collo parentis
 44 ingeminans mihi dulce Pa, Pa.
 45 Et matre pulchra pulchrior exeret
 46 ad abnuentem basia, brachia, et
 47 matri patrique se vicissim
 48 blanda dabit lacrimasque sistet
 49 quarum suavi lite parentium
 50 puella largam vim modo fuderat.
 51 Dum nunc pater, nunc dura mater
 52 composito simulant dolorem
 53 irasque fictas ; illa tamen manus,
 54 gemmasque pulchris conspicuas genis
 55 ostendet, atque lacrimarum
 56 irriguos mihi fundet imbres
 57 donec parentes viderit invicem
 58 pudica strictim basia pergere,
 59 urina nec mi tum nocebit
 60 nec lacrimae liquidusque venter.
 61 Adsis jocosae chordae loquax lyrae,
 62 Mecum Loysas dic geminas, precor,
 63 matremque filiamque pulchram et
 64 oscula mille jocosque mille.
 65 Rursus Loysam docta manus meam
 66 tentet papillasque et niveum sinum
 67 invadat, omnis in Loysa
 68 nequities mihi stet calorque.
 69 Extra Loysam nil placeat mihi
 70 sinus decentes et niveum femur
 71 pulchras mamillulas comasque
 72 sola habeat mea mi Loysa.

AD HENRICHVM MEVCHEIVM

M6_4 v.1 Cur mihi tu Flandros, Henriche, laccessis et audes
 2 Germanos Belgis praeposuisse meis ?
 3 Quem nec Bonna suum, quem nec Germania civem
 4 agnoscant adeo dissona lingua tibi est,
 5 Nam neque labra rigent Germanis aspera setis
 6 nec vox Teutonico murmure rauca sonat.
 7 Si, quo tu te more geris, tua Bonna videret,
 8 clamaret : civis non fuit ille meus !
 9 Nempe suum ut noscat civem Germania, debet
 10 laxae braccatas semper habere nates,
 11 cervisiae adfuso crassum thoraca liquore
 12 adcinctam lateri (est sane ea forma) colum,
 13 demissam in pectus barbam cochlearque galero
 14 adfixum, hoc offas deliciasque vorant.
 15 His super accedat villosae penula lanuae,

16 quae vix dimidias pervenit usque nates.
 17 His tibi nil simile est, sed quali veste solemus
 18 uteris et priscae nil feritatis habes.
 19 Hac ratione quidem Belga es Belgamque puellam
 20 nacto, Germano non licet esse tibi.
 21 Uxor Belga tibi proles enixa negabit
 22 si sis Germanis moribus, esse suum.
 23 Si te nil tamen ista movent et mens tibi perstat
 24 quae nulla flecti se ratione sinat,
 25 indue concisas Germano more, age, vestes,
 26 et bracca, abi, cerat pulverulenta solum,
 27 qua centum texisse nates atque inguina centum,
 28 quae sint, quam credas, saepe minora, queas.
 29 (Saepius audivi teneras optare puellas
 30 ex grege Germano quemlibet esse suum.
 31 Nimirum stultae laxa nervosius illud
 32 Germanis majus veste latere putant.
 33 Vos tamen, o miserae, laxis ne credite braccis
 34 tam magna in cavea parva latebit avis.)
 35 Si tamen haec, Henriche, placent, si Flandria sordet,
 36 demittas barbam caesariemque tuam
 37 et patriae repetas felicia moenia Bonnae,
 38 occurrent cives, excipietque pater,
 39 laudabunt vestes, laudabunt cetera. Primus
 40 Hic meus est dicet Meucheniusque senex,
 41 sed cum Germanae incipient commercia linguae
 42 atque erit ad patrium vox tibi inepta sonum,
 43 protinus agnoscent fraudes, Flandrumque vocabunt
 44 inficiasque ibit te pater esse suum.
 45 Scilicet hinc Belgas repetes sociamque relictam,
 46 sed non admittet, si sapit illa, virum.
 47 Nec te nata domi, nec te cognoverit uxor,
 48 adspectum fugiet Meucheniusque tuum
 49 parvulus, a collo qui nunc tibi pendet, et omnis
 50 te domus exclusum deseret ante fores.
 51 Hic miser, ut meritus, ventos patieris et imbrem,
 52 miscebis lacrimis dona precesque tuis.
 53 Nec tamen admittet conjux, si quid mihi credet,
 54 sed dabit insano verba ferenda Noto.
 55 Donec Germanos Belga eviraveris omnes,
 56 tum demum excipiet te tua tota domus
 57 agnoscentque patrem nati conjuxque maritum,
 58 Bultelius socium, Meierus generum.
 59 Sed mihi si credas, contentus sorte tua tu
 60 quod sis, esse velis, ulteriusque nihil.
 61 Flander es et Flandros genuisti ex conjuge Flandra,
 62 Balliolum civem novit et esse suum.
 63 Si non sis, Henriche, mihi tu Flander, eris jam
 64 (namque quod esse cupis non potes esse) nihil.
 65 Nam cuncta ut possis, Germanus non potes esse
 66 noster es esse ; suum te tua Bonna negat
 67 esse suum quoque te, quam tu Germania laudas
 68 sic negat ut negat hoc posse negare magis.

AD LOYSAM

M6_5 v.1 Quale fere nobis monstrum numerosus in arte
 2 depinxit vates exhibuitque palam,
 3 humano capiti cervix est subdita equina
 4 et vestit niveum candida pluma latus,
 5 inferior pisces sinuosae verbere caudae
 6 pars notat et squamis aspera membra rigent :
 7 talis nostrorum est farrago, Loysa, librorum :
 8 tristia sunt laetis, sunt mala mixta bonis.
 9 Si quis in his gustet proprio non apta palato,
 10 exspuat et tantum, quae probat, illa legat.
 11 Seria cum nugis mea Miscellanea tractant,
 12 qui capitur nugis, seria missa facit,
 13 sed qui non laudat, nisi tristi seria vultu,
 14 non illum nugis detinuisse velim.
 15 Ut legat in nostris, quae sunt non multa, libellis
 16 seria, non pugno, vel legat ille nihil.
 17 Meiero tantum cupio atque placere Loysae :
 18 instar multorum sunt duo namque mihi.

IN CAROLVM RIKEWAERT

M6_6 v.1 Dicis amatorem Divum te, Carle, sed istud
 2 officio pugnat nomen abestque tuo.
 3 Adde quod et numeris adstringi nomen abhorret
 4 disparibus Graecum quo tibi, Carle, places ;
 5 Ipse Sathanophilum dicam te, namque Sathanas
 6 praecipuus vitae est duxque comesque tuae.
 7 Si quis enim veterum sequitur vestigia patrum,
 8 is tibi condicto est hostis ut agna lupo.
 9 Ergo ego te Carolum dictum illa lege putarim
 10 qua vulgo pugnas bella vocare solent,
 11 nam veluti caedes miscere et spargere flammis
 12 et facere hostili nil nisi dura manu,
 13 urere templa, Deos laribus depellere avitis
 14 pignoraque in matrum cara necare sinu
 15 bella vocant, quamvis nil sit funestius illis,
 16 sic est antiphrasis nominis illa tui.
 17 Et qui te Carolum quondam dixere parentes
 18 respexisse illuc saepe diuque putem.
 19 Carolus ille a quo nomen deducis, id unum
 20 participat, dispar cetera, sanctus erat.
 21 Ille novas sectas tollens victricibus armis
 22 antiquam excoluit cum probitate fidem.
 23 Ille suo caelumque et terram nomine complet
 24 Carolus Eois notus et Hesperiiis.
 25 Cui quam vicinus sis nomine, tam procul esse
 26 moribus et vita te ingenioque liquet.
 27 Hac tua si nomen tibi lege superbia primum
 28 arrogat, haud pugno dissideoque nihil,
 29 ecquis enim te sacra odio majore, fidemque
 30 et fidei antiquae scita Deumque premit.

IN CAROLVM

M6_7 v.1 Nescio quid Caroli terris fatale movendis
 2 nomen habet, magnis nobile saepe viris.
 3 Magnus erat virtute sua, qui Saxones armis
 4 indomitos domuit composuitque Deo,
 5 excoluitque sacris primum Christoque dicavit
 6 imbuit et vera barbara corda fide.
 7 Quintus huic similis, qui lapsos compulit armis
 8 ad veteres ritus relligionis, erat.
 9 Una eademque via est quaesita decoris utrisque,
 10 virtuti famam debet uterque suam.
 11 Noster et hic late titulos nomenque reliquit,
 12 virtute haud potuit, nequitia potuit.
 13 Tempa igitur legesque patrum convellit et aras
 14 diruit et Christi sub pede sacra premit.
 15 Sic et apud veteres succendit templa Dianae,
 16 qui voluit nomen clarius esse suum.
 17 Infandum sed enim leges sanxere jacetque
 18 aeternis nomen suppositum tenebris
 19 et quisquam sanae mentis te nominet ultra
 20 o scelus, o patriae foeda ruina tuae !

IN CAROLVM

M6_8 v.1 Qui tua nocturnas deliramenta vocavit,
 2 Carle, epulas, vero proximus ille fuit.
 3 Omnia sunt noctis tenebrosae plena, nec illic
 4 vel minimum lucis crassior error habet.
 5 Caecus enim caecos rapis in dispendia et una
 6 in foveam ruitis dux comitesque tui.

IN BENEDICTVM

M6_9 v.1 Si veterum ridere juvat ludibria amorum,
 2 Margaris in promptis et Benedictus erunt.
 3 Isti conficitur jam sexagesimus annus
 4 altera vix habeat tres quatuorque minus.
 5 Et sua virginitas vetulae perstare puellae
 6 fertur, credibile hoc si tamen esse potest !
 7 Sed tamen, ut perstet, nec enim culpae laborem,
 8 quam gravis excipiet te, Benedicte, labor ?
 9 Anne putas prima expugnare repagula nocte
 10 ac adeo zonam solvere virgineam
 11 fortis ? Et ad palmae toties devectus honores
 12 postquam consenuit, non bene currit equus.
 13 Et tibi tam longe defunctus Marte caballus
 14 ad nova militiae munera tardus erit,
 15 virginis ut labor est vetulae dissolvere claustra
 16 silvasque horrentes et loca senta situ.
 17 Quis sudor victis promanans undique membris
 18 eripiet vires, o Benedicte, tibi !
 19 Quam melius fuerat primae sub flore juventae
 20 ponere maturae virginitatis onus.

21 Te gemino superasse diu, Benedicte, duello
22 sat fuerat, victum tertia pugna dabit !

AD ANTONIVM MEIERVM

M6_10 v.1 Quid pertinaci vincta silentio
2 utrimque lingua, o Mejere, conticet ?
3 Musis nec est gratum Diisve,
4 nec tibi nec mihi sat decorum.
5 Quod si severi Pythagorae graves
6 sequare leges, scribere nil vetat :
7 silentium non est probandum
8 quo veteres periere Amyclae.
9 Ut sit fideli tuta silentio
10 merces, Horati quod lyra commonet,
11 non sunt tamen neganda amicis
12 sensa animi sed utrimque chartis
13 communicanda inscripta fidelibus
14 quo more nostri taedia temporis,
15 voramur, exilique tristes
16 pellimus exuimusque curas.
17 Dum scribo jam nunc non memini graves
18 belli tumultus, quamlibet undique
19 circumstrepant aures tubarum
20 cum lituo, crepitus minaces.
21 Tormenta quassant aenia Nervios
22 muros et Hypras sollicitas tenent.
23 It sulphuri nitroque mixta
24 cum sonitu, per inane flamma
25 exclusa dum glans moenia subruit
26 altasque turre de jicit impetu,
27 terram polumque tartarumque
28 horrifico haud dubites boatu
29 scindi : remotum millia plus decem
30 soli trementis Balliolum salit
31 succussu et impulsae subinde
32 dant vitreae sonitum fenestrae.
33 Nihil tamen me, Mejere, commovet
34 tutumque tantis Pierides malis
35 tecum loquentem et garrientem
36 eripiunt animumque firmant.
37 Quis hic inepto frena silentio
38 non sponte solvat ? Si mihi promptior
39 vis esset elocutionis ;
40 nulla dies tacitum videret,
41 sed nunc Loysae conquere rer dolos,
42 qua non reluctantem arte fefellerit
43 audiret orbis, quem cadensve
44 sol radiis oriensve lustrat
45 nunc provocarem Mejerii lyram
46 senisque dulces elicere modos,
47 seu Graeca, seu magis Latina
48 tentet, utrimque pares vetustis.
49 Nunc et Philippi castra rebellibus
50 horrenda grandi carmine dicerem,

51 tardeque sed tandem, Tyranni
 52 sanguine perfido humum calentem.
 53 Sed ista et istis plura tibi lubens
 54 dicenda, quo fas ore, reliquero,
 55 qui, spreto humo, penna explicata
 56 sidera summa feris polumque.
 57 Nobis lacertae serpere humi modo
 58 magnum videtur, vel Veneris rosas
 59 conquirere et brevem coronam
 60 nectere vel violas suaves
 61 audace passim carpere pollice.
 62 Accesserint vacinia, protinus
 63 sinum Loysae verticemque
 64 obruere his spoliis juvabit
 65 si grandiori nostra sono velit
 66 tentare quicquam Musa, meri graves
 67 dicet tumultus aut puellae
 68 aspera jurgia pertinacis.
 69 Hac nostra virtus clauditur area
 70 si quando vero detineam tuas
 71 aures, id est rarum mihique
 72 Mejere, magnificum videtur.

AD HENRICHVM MEVCHENIVM

M6_11 v.1 Cum posses aequare stylo graviore priores
 2 artis Apollineae quos celebravit honos,
 3 herbarum vires doctis committere chartis,
 4 tradere pestiferis pharmaca certa malis,
 5 quid Lunae instabiles cogat quid porrigat orbes,
 6 unde venit refluum, quo fugiatve mare,
 7 et cur bruma dies breviores, cur habet aestas
 8 mox longas et cur haec calet, illa gelat,
 9 quid generet tonitru, medioque sub aere fulmen,
 10 et cur, commoto cardine, terra tremat,
 11 et quid contineat spatiosa volumina mundi,
 12 et qui tam discors, tam bene quadret opus
 13 naturae secreta adeo indagare latentis,
 14 ejus et abstrusos perpenetrare sinus,
 15 posses invicti, docte, tractare Philippi
 16 gesta, foris pulchre plurima, multa domi,
 17 insanos plebis verbis aequare furores,
 18 sive soluta placent, sive ligata magis.
 19 Omnibus his positis, pueris das Graecolatinas,
 20 (ne dilata magis quam posita esse velis)
 21 illa tamen, pueris quae tradis, talia certe
 22 apparent, ut ab his caetera nota putem,
 23 ut bene venator cognoscit ab ungue leonem,
 24 plumae aquilam prodeunt, cornua torva bovem,
 25 sic quae missa manu, totoque leguntur ab orbe,
 26 Henriche, ingenii prima elementa tui.
 27 Haec, prae iudicio quae de his, quae clausa tenentur
 28 scripta domi, nobis spes sit habenda, docent.
 29 Sic cecinit culicem, qui tradidit : Arma virumque,
 30 a ranis, magnos scribis, Homere, duces,

31 sic tamen ut ranae facilesque culexque futuri
 32 indubitata operis signa notaeque forent.
 33 Sic quoque, qui toto orbe placet, secrevit Erasmus
 34 formavit pueros explicuitque Nucem,
 35 et tamen illius libros, monumenta laborum
 36 vix una atque patens bibliotheca capit.
 37 Ingenii faciles hac spe nos, idque libenter
 38 laudamus fetus, excipimusque tui.
 39 Sed quid aeris, pueris qui tantum, Henriche, laboras,
 40 nulla magis libris turba molesta siet.
 41 Sic petulans tractat doctorum turba libellos
 42 auriculis poene ut pagina nulla vacet.
 43 Quid ? Cum mens lapsa est, et lectio dicta magistro
 44 excidit, ut miseris expetat ille nates ?
 45 Quae tum doctorum veniunt convicia libris ?
 46 Si qua errant lacrimis pagina tota natat.
 47 Ni metus impediatur, Vulcano cetera tradant,
 48 aut piperi thecas zinziberique parent ;
 49 quod possunt, male sit libro auctorique precantur,
 50 sed fere habent surdos impia vota Deos.
 51 Quid tibi ? Cum Satyros et turpia monstra Chimaeras
 52 margine depingunt, semivirosque boves ?
 53 Quid ? cum impulsa cadit cubito petulante lucerna,
 54 Pallade suffundens Palladiae artis opus !
 55 Sed tamen et pueris debentur multa, nec omnes,
 56 unum si noris, te bene nosse puta :
 57 invenies aliquem turba fortassis in illa
 58 qui libros oculis plus amet ipse suis.
 59 Non haec parva etiam dicet, qui scilicet inde
 60 tam facilem sciet ad magna patere viam.

AD AMICOS

M6_12 v.1 Si fumosa tuo respondet perna palato,
 2 sique placent mensae fercula parca brevis,
 3 Meucheni et Empelli dulcis, tuque optime Rati,
 4 quos par jungit amor consociatque fides,
 5 tres mihi convivae stomachi latrantis adeste,
 6 pellet, vel longam rustica perna famem
 7 cervisiae tantum melioris copia nobis
 8 deficit, a vobis illa petenda venit.
 9 Ut pretium pernae sit, vini plena diota est.
 10 Tres hac convivae lege venite mihi,
 11 tristitiam durasque domi dimittite curas :
 12 sint comites Charites et Jocus atque sales.

AD AVRORAM

M6_13 v.1 Aurora Muis grata et Apollini,
 2 adsis Loysae frigidula et sinus
 3 comasque dispellas fluentes.
 4 Vecta humeris Zephyri suavis
 5 quacumque, Diva, incedis, alis rosas
 6 gravesque gemmas palmitis evocas.

7 Natura miratur decoras
 8 ruris opes tenerosque flores
 9 cum parte dextra, Diva, rubescere
 10 pergis caputque attollere praeivium
 11 solis statim jam subsequenti
 12 igniferis radiis. Loysa
 13 adversa si tum forte leves comas
 14 ventis resolvat, pectine eburneo
 15 discriminans auri superbum
 16 vellus, et aethereos ocellos
 17 sereniores sidere proferat,
 18 qua parte tandem Sol caput ambigo
 19 levet coruscum aurora utrimque
 20 usque adeo mihi par videtur.
 21 Quis non Loysae sideribus pares
 22 Aurorae ocellos vincere gratiam
 23 juret ? Nec est tamen modestae
 24 quod male, Diva, velis Loysae ;
 25 formae potentis dives et aureis
 26 nitens capillis, nil tamen arrogat.
 27 Sed quam placet decore vultus
 28 pectoris et spatio torosi !
 29 Et quam decentes fert humeros, quibus
 30 cedant Dianae membra humeri et latus !
 31 Tam non superbit, tam modestis
 32 moribus est facilique cultu :
 33 o Diva, currum si qua comes tibi
 34 conscendet, haec est digna vehi sacris
 35 rotis, cui adflabit Favoni
 36 aura comes tepidi sinusque.

AD AMICOS

M6_14 v.1 Adeste, amici, sed veteres domi
 2 vinctas catenis sollicitudines
 3 concludite et graves querelas
 4 tristitiamque metumque edacem !
 5 Est in remoto vas abaco mihi
 6 ventris repandi : circum hederæ ambiunt
 7 et pampini subimplicatis
 8 ordinibus virides et uvæ.
 9 Silenus intus tardigrado sedet
 10 haerens asello, cum petulantium
 11 Bacchi ministrorum caterva,
 12 qui pecus atque senem molesti
 13 nimbo rosarum et floribus obruunt ;
 14 insculpta credas artificii manu
 15 spirare : quin flores putares
 16 esse pecusque senemque verum.
 17 Quondam parentis cara mei unica,
 18 vas destinatum non nisi caecubo
 19 festis diebus cum coronis,
 20 cum niveo sale risibusque !
 21 Hereditatis pars potior meae
 22 spumans Falerni gurgite nobilis

23 descendet et mensis secundis
 24 ordine circumagetur apto,
 25 haec lege, ne quis ducere spiritum
 26 ausit bibendo aut fraude mala et dolo
 27 prope assidentium coronam
 28 fallere. Certa fides tenenda est
 29 ne plus minusve exhauriat aut bibat
 30 vicinus ; hoc est scilicet omnibus
 31 modis cavendum neu notare
 32 sobrius audeat ebriosum
 33 neu, parte pota, pars potior meri
 34 scypho residat, quove asaroticum
 35 tingat pavementum minister
 36 ebrius aut bibat ipse furtim.
 37 Ades Varequi, Godine et Aymeri.
 38 adesto Boti, his legibus et mero
 39 mecum diem noctemque totam
 40 concelebrate pares amici.
 41 Accedat uxor cuique sua, aut latus
 42 amica claudat : mox ubi poculis
 43 commota virtus incalescet
 44 dulcia basia conseremus.
 45 Post, quando vini copia largior
 46 curas edacemque eluerit metum
 47 censura communis Tyrannos
 48 excipiet subito et Monarchas.
 49 Reges, Duces cogentur in ordinem,
 50 pleni mero pugnabimus acrius
 51 urbesque cingemus bibendo
 52 obsidione vel hanc, vel illam.
 53 Inscripta vino mensa dabit situm
 54 castris locandis notaque munient
 55 tergum latusque copiarum,
 56 flumina sub digito sequuta.
 57 Sed hic severa lege cavebimus
 58 ne dicta quisquam eliminat aut foras
 59 evulget at mappae repente
 60 omnia non memori implicentur.
 61 Siccis suarum est, et merito quidem,
 62 sententiarum mox ratio efficax
 63 reddenda, sed potis relicta est
 64 ampla licentia garriendi.
 65 Inscripta vino dictaque factaque
 66 oblivioso praetereunt velut
 67 cum linea in fluctus marini
 68 ducta superficie notatur.

AD ANTONIVM MEIERVM

M6_15 v.1 Ut solet erepta viduatus compare turtur
 2 in arboris siccae queri
 3 ramis et misero silvas implere tumultu
 4 cibique potusque immemor,
 5 Mejerius tales elegos miserabilis edit
 6 in morte maestus conjugis.

7 Non equidem miror justo indulgere dolori
 8 uxoris ereptae virum :
 9 sit tamen et modus et certam dissolvere fati
 10 nolis necessitudinem.
 11 Non si Threicio moduleris dulcius Orpheo
 12 ditis resolves atrium
 13 sed potius, quo te ducet lex una sequeris,
 14 lugendus, ut luges tuam.
 15 Officii satagent, quibus hic tua cognita virtus,
 16 nec interim in messem tuam,
 17 qui sani capitis sunt, ausint mittere falcem et
 18 dicere Ysabellae neniam.
 19 Debita solvisti defunctae carmina, nulli
 20 imitanda : clausa janua est
 21 ulterius quicquam tentandi. Scilicet Hojus
 22 Moncaeus, Obryzius tui,
 23 Sylvius et Carpentaeus saniisse videntur,
 24 post Mejeri muti melos,
 25 quamquam non dubitem quorum tu scripta requiris
 26 levamen in malis tuis.
 27 Carminibus lacrimas oculis siccare fluentes
 28 amnisque cursum sistere
 29 posseve extremo medicamina ferre dolori
 30 (doctis fere docti placent)
 31 quis tamen accedat, quo te dolor acer, amorque
 32 uxoris amissae vehunt,
 33 supra hominem, oblitumque tui caelumque tuentem
 34 roseae Ysabellae patriam ?
 35 Quo te credibile est etiam adspirare tuaeque
 36 adesse velle conjugii,
 37 si retinent nexus humani corporis, at mens
 38 utcumque libera evolat,
 39 et praesens Ysabellae, alti trans sidera caeli
 40 fruitur beatis gaudiis
 41 Hicque adeo arcani divinos carminis hymnos
 42 secura plane, concipit
 43 quos iterum delapsa humani in corporis artus
 44 aeternitati consecret.
 45 O iterum felix, iterumque Ysabella, mariti
 46 erepta morti carmine !
 47 Non mors illa mihi est, qua mens de corporis hujus
 48 ergastulo miserrimo
 49 eripitur, moritur vere quem densa tenebris
 50 oblivionis obruit
 51 caligo. Decus aeternum titulique manebunt
 52 si Musa quos dignabitur
 53 Mejerii vatis sacris depingere chartis
 54 corruptionis nesciis.
 55 Aetatemque feret Virtus et nomina vivent
 56 quam sculpta, scripta diutius.
 57 Cumque nihil rigido sit marmore durius et nil
 58 fere papyro mollius
 59 clarorum effigies dudum periere virorum
 60 insculptae in aera aut marmora,
 61 vivit et aeternum vivet celeberrima Virtus
 62 sacrae papyri munere.

63 Sic quae saecula retro venient mores Ysabellae
 64 dignis ferent praeconiis,
 65 cujus ad exemplum sapiens matrona studebit
 66 vitae tenorem fingere,
 67 ut si forte aliquis morum sit praeco bonorum
 68 possit beata perfrui
 69 (quo sociam vates evexit carminis alis)
 70 aeternitatis gloria.
 71 Tu tamen uxoris vates studiose, memento
 72 modum tenere, Mejere ;
 73 siste pias lacrimas, non est mutabile fatum.
 74 Ne verba Virtutem puta :
 75 nunc opus est uti (quod tu laudare solebas)
 76 constantia in malis gravi.
 77 Parcarum rigidas, generose, evincere leges ;
 78 praestare te factis virum
 79 non tibi conditio sortisque ignota severa
 80 humanae erat necessitas.
 81 Et tu si bene te, doctissime Mejere, novi,
 82 mutare quod nequeas, feres
 83 desipio ? Cum Carpentaeus, Sylvius, Hojus,
 84 Moncaeus, Obryzus tacent,
 85 Mejerii justas solus vexare querelas
 86 laborem inepto carmine ?
 87 Atqui qui sit opus longum lenire dolorem
 88 sapientiae clypeo gravi
 89 plenius et melius Chrysippo et Crantore novit
 90 aut quem cicuta perdidit.

AD ANTONIVM MEIERVM

M6_16 v.1 En rursus tibi lucubrationes
 2 nostras, Mejere, quae manum supremam
 3 enixe cupiunt sibi, sed a te,
 4 imponi ! Quid ais ? Dabisne tantum
 5 amici precibus tui ? Sed ehem
 6 frontem contrahis et times libellum
 7 scabro cortice durum et impolitum :
 8 mors est, et fateor, recocta crambe
 9 sis, quantum licet esse curiosis
 10 Antoni auribus atque delicatis.
 11 Offa haec est tibi devoranda rursus :
 12 multa, tolle, seca, repone et adde ;
 13 totus arbitrii tui est libellus.
 14 Sed vide quid agas ; tibique totum,
 15 quicquid eveniet, puta imputandum.
 16 Nam si qui reliquos furor Poetas
 17 impellit, cerebrum meum lacessat
 18 nasuto ut populo meos amores
 19 divulgem, tua res agetur, ut qui
 20 id quod displiceat loco moveri
 21 non curaveris atque subnotari.
 22 Sed nil te moveant minae insolentes ;
 23 nam si mens mihi sana permanebit,
 24 qualem Juppiter auferat precamur

25 nostris hostibus, hac domi latebunt
 26 nugae, nec populi ferent cachinnos
 27 velim, qua fieri tamen licebit
 28 Miscellanea nostra perpoliri,
 29 ut quae turba domum meam frequentat
 30 curiosula non statim libellos
 31 contemnat tetrico severa fastu.
 32 Qui domum veniunt meam frequentes
 33 chartas excutiunt nihilque quicquam
 34 neglectum patiuntur aut latere.
 35 Lateret melius tamen mearum,
 36 Antoni, seges infacetiarum.
 37 Privatum cupio placere amicis ;
 38 nil me publica spes juvet timorque ;
 39 ut privata tamen placere possint
 40 nostra scripta, iterum manum supremam
 41 enixe cupiunt sibi, sed a te
 42 imponi : adde, seca, repone, tolle ;
 43 ut si mors adeo recocta crambe,
 44 offa haec est tibi devoranda rursus !

AD OLIVERIVM YMMELOTIVM

M6_17 v.1 Si non summa dies, nulla necessitas
 2 concordans animos dividet, ut malus
 3 sese livor acerbe
 4 miris discruciet modis,
 5 o conjuncte mihi foedere aeneo,
 6 vitae dimidium et pars potior meae,
 7 seu Fortuna favebit
 8 seu nos instabilis premet,
 9 unum conqueror hoc, quod nimium diu
 10 ignoti fuimus, tu mihi, ego tibi,
 11 quos par cura juvabat
 12 sancte Pierides sequi,
 13 rus urbi obstreperae grataque flumina
 14 et praeferre boum pingua pascua
 15 clamosoque foro vel
 16 aerato Capitolio.
 17 Mensis mundities adsit et amphora
 18 spumans purpureo nectare diluat
 19 maesto ex pectore nobis
 20 aegras sollicitudines.
 21 Sed sic, Ymmelote o, sollicitudines
 22 Bacchus purpureo nectare diluat
 23 usum ne rationis
 24 potus largior obruat.
 25 Odi tristitiam, non sequor ebrios :
 26 est quiddam medio tramite, quod placet
 27 quo non usque soluti
 28 non plane sumus anxii.
 29 Si certant proceres ambitionibus
 30 spectat foeda lues non ea rusticos
 31 et virtutis amicos
 32 nec certaminis aemulos.

33 Hujus dum neque te nec pudeat tuum
 34 vitae Bultelium non sequar urbium
 35 sordes. Rure beato
 36 soles purius emicant.

AD ANTONIVM MEIERVM

M6_18 v.1 Tamquam cum patria periissent carmina nobis
 2 et cum Balliolo Musa sepulta foret,
 3 sic raro scribo, sic longa silentia duco,
 4 torpet et ad calamum languida dextra mihi.
 5 Non ita me Dii ament animumque dolore levassint
 6 scripturus fueram, Mejere docte, tibi.
 7 Sed tuus (ingrato ne missum forte putares)
 8 invito extorsit carmina pauca Cato.
 9 Namque ubi Ballioli periit domus, ingenium et res,
 10 hoc primum, ex illo tempore, carmen habes.
 11 Sentit adhuc fumos perturbatumque Poetae
 12 ingenium et patriae signa ruentis habet.
 13 Sed facile agnoscas expressi carminis umbram
 14 et lecto quaeres carmine vena ubi sit ?
 15 Illa fluens quondam Dominae mea vena Loysae,
 16 ignosce ingenio, magne Poeta, meo.
 17 Non idem vigor est, eadem vis aut eadem mens,
 18 erepto tantis attonitoque malis,
 19 quodque magis doleo, perierunt carmina nobis
 20 indicia illa animi carmina certa tui,
 21 quae mihi missa a te, mentem recreare solebant ;
 22 debuerant fatis illa carere meis :
 23 quid juvat esse orta Arthesiae felicibus oris
 24 si fuerant Flandris haec peritura rogis ?
 25 Sed superesse puto autographis descripta domique
 26 vivere, nam vita digna fuisse scio.
 27 Hinc mihi transmitti exemplar, bone Mejere, (ni te
 28 plura domi impediunt et potiora) velim.
 29 Exiguus labor est, puerum describere charta
 30 exigua jubeas et mihi mitte ; sat est.
 31 Forte etiam una animum capiam calamumque resumam
 32 ac interruptum Musa sequetur iter.

EPIGRAMMA

M6_19 v.1 Magnus Alexander Persas, sed Maximus iste
 2 devicit Belgas, Marte feroce truces.
 3 Quam molli Persa sit Belga ferocior, ergo
 4 tam Magno major, Maximus iste cluet.

IN MORTEM BALTHAZARIS GIRARDIS

M6_20 v.1 Tyrannicidae nobile martyris
 2 mecum duellum dic, age, Pieri,
 3 lassarit ut manus furentum
 4 carnificum generosa Virtus.

5 Postquam Tyrannus procubuit solo
 6 turpemque mixto sanguine spiritum
 7 trajectus effudit nefandum
 8 glande latus triplici, sereno
 9 Baltazar ore atque intrepido rei
 10 gestae papyro protinus ordinem
 11 describit et quae spes volentem
 12 impulerit facinus patrare
 13 pestemque primum tollere publicam
 14 pulchrum putavit, quam nimium diu
 15 regnasse et orbis universi
 16 conscelerasse plagas dolebat.
 17 Et nos repertum, qui caput impium
 18 ferro occuparet, demetere, hostiam
 19 tot innocentium virorum
 20 funeribus patriaeque cladi.
 21 Ergo relictum credidit hunc sibi
 22 soli triumphum, vindice quem manu
 23 dispendioque vitae adiret :
 24 sanguine fama fere est emenda
 25 constringe, lictor, membra, seca, occupa,
 26 adure corpus, forcipe comprime
 27 et subulas infige acutas
 28 in digitos, pedibusque fervens
 29 suffunde plumbum : nil agis, impios
 30 irridet ausus et, veluti foret
 31 mens corporis soluta vinclis,
 32 non lacrimas gemitusve fundit :
 33 sensum dolorisve abstulerit Deus,
 34 an mens, paratae conscia gloriae
 35 collectaque in se conquiescens,
 36 carnifices nihili aestimarit.
 37 Incertus erro. Constupuit quidem
 38 durus satellites, nilque suas videt
 39 valere poenas, ventre donec
 40 cor tremulum rapiens aperto, et
 41 in os jacentis conjiciens suo,
 42 tandem furori pectoris egregi
 43 doleret ereptum Girardum,
 44 Sequanici decus orbis amplum.
 45 Virtute macte o, quem neque certa mors
 46 a destinata caede coercuit
 47 tormenta nec tot praeparata !
 48 Auriacus jacet, ampla merces
 49 fusi cruoris. Quo te ego carmine,
 50 qua voce dicam ? Non mihi suppetunt
 51 virtute digna verba ; sed tu,
 52 materiam egregiis Poetis
 53 dature, vives, sanguine nec decus
 54 partum peribit, marmore et aere te
 55 magnus Philippus consecrabit,
 56 carmine nos, numerisque sanctis.
 57 Quantumque vivent perfidia et scelus
 58 caesi Tyranni pestis et omnium
 59 fontis malorum, nota Virtus
 60 tantum erit hic tua, clare martyr.

AD OLIVERIVM YMMELOTIVM

M6_21 v.1 Ut studiis animoque pares jungantur amici,
 2 conciliat mentes Pieris una duas.
 3 Est aliquid, fateor, conjungi sanguine, verum
 4 firmitus hoc aliquo carmina more ligant.
 5 Mater cara mihi, cari fraterque sororque
 6 quaeque alias juncta est sanguine turba mihi,
 7 sic tamen ut superent, si quos mihi carminis usu
 8 Calliope junctos arctius esse velit.
 9 Expetit a nobis elegos Oliverius : illi
 10 mene putes elegos posse negare meos ?
 11 Nam quamquam lyricis sim promptior et mihi duro
 12 decurrant elegi difficilique pede,
 13 obsequor imperio vel inepto carmine amici
 14 quem mihi das fratris, Pieri sancta, loco.
 15 Vincula sunt equidem firmissima sanguinis, atqui
 16 nescio quo mentes firmitus ipsa ligas,
 17 consociasque modo, vel forti glutine jungas,
 18 Pieri, amicitiae maxima causa novae.
 19 Est scio qui veteres solos commendet amicos,
 20 laudo quidem veteres accipioque novos,
 21 praecipue si quos studiis et moribus iisdem
 22 non dissolvendo foedere Musa liget :
 23 utque mihi junctus studiis Oliverius istis
 24 sit novus, ad veteres annumerandus erit,
 25 quem mihi Musa potens nodis adstrinxit ahenis,
 26 vincula quae tantum solvere Parca queat.
 27 Non etiam solvet, nisi carmina solvere dicas,
 28 sed tantum Parcas non ego posse putem
 29 maxime amicitiae nostrae, si munere foedus
 30 testatum proprii carminis esse velit
 31 cui scio Calliopen instillavisse liquorem
 32 quem de Pegaseis largiter hausit aquis.
 33 Eia age, jungamusque operas et vindice Musa
 34 Ymmelotus vivat Bulteliusque suus !
 35 Quos bona Posteritas fidos agnoscat amicos
 36 atque fuisse animis ingenioque pares.
 37 Hoc unum doleo, tam fidi nomen amici
 38 tam sero scriptis innotuisse meis,
 39 usus amicitiae prior hic si namque fuisset
 40 in nugis legeres te quoque saepe meis.

DE MARITO ET VXORE PVERPERA

M6_22 v.1 Evenit nuper quae fabula digna relatu est.
 2 Offensus gravida a conjuge vir fuerat,
 3 qui bene dissimulans et idonea tempora quaerens,
 4 differt, dum ventris femina ponat onus.
 5 Quae postquam enixa est prolem Junone secunda,
 6 tempus vindictae est vir ratus esse suae.
 7 Femineae instabant celeberrima tempora pompae
 8 commatres matrem visere quando solent.

9 Tum mater cubat ornato ornatissima lecto,
 10 ut valeat, lecto secubat illa tamen,
 11 acceduntque pares, magna gravitate rogantque
 12 qui valeat mater, qui valeatque puer.
 13 Et quae secreto turba tractantur in illa
 14 conjugibus nec fas est ea habere palam.
 15 Hic vir blanditiis uxorem tentat, ut ipsi
 16 sub Dominae liceat clam latitare toro.
 17 Adsensit facilis fraudisque ignara, maritus
 18 audiat ut varios femineosque logos.
 19 Qui, complosa sonat quantum vesica, pepedit,
 20 Nec satis est semel, id terque quaterque facit.
 21 Erubuit mulier, nec consensisse marito
 22 dicere sub lecto clam latitare suo
 23 ausa fuit : miserumque tacens exaestuat, illam
 24 hos omnis crepitus edere turba rata est.
 25 Et quaedam matrona choro venerabilis illo
 26 composito tales edidit ore sonos :
 27 Absit inutilis hinc pudor, arcti tormina ventris
 28 non melius pellas ejiciasque foras,
 29 quam crebros si edas crepitus, natibusque solutis
 30 permittas caelo hos liberiore frui.
 31 Hic iterum atque iterum sonuit crepuitque maritus.
 32 Enixae varius subnotat ora pudor.
 33 Tandem pompa foras abiit totamque urbem
 34 ista puerperii fabula nota fuit.

IN QUOSDAM POETAS

M6_23 v.1 Malis pessima comprecor Poetis
 2 istis illepidis et infacetis,
 3 qui nostrae Dominae comam, lacertos
 4 et frontem et faciem canunt latusque !
 5 Quid vobis subiit mali, Poetae,
 6 in mentem, ut Dominam meam canatis ?
 7 Hic vobis oculos deesse vellem,
 8 vel si sint oculi, nihil videre !
 9 Vellem hic vos facerent Dii Deaque !
 10 Sat est, si mihi nota sit Loysa :
 11 vobis si male pergitis, Poetae,
 12 illa erit rigida et ferox Diana.
 13 Fatum Actaeonis, optimi Poetae,
 14 ni vobis caveatis, haec minatur
 15 proin, si sapitis, cavete porro,
 16 et, bonos veluti decet Poetas,
 17 a nostra Domina abstinete ocellos.
 18 Non assis faciunt mali Poetae,
 19 nimirum sapiunt ; videntque pulchram
 20 matronam quoque pessimi Poetae
 21 libenter : tamen est mea illa, nostra est,
 22 quam si pergitis, o mali Poetae,
 23 Deos atque Deas rogabo et omnes
 24 quae veneficiis valent et herbis
 25 anus, carminibus sacris potentes,
 26 ut vobis oculos male abstinentes

27 istos effodiant. Proin cavete,
 28 nam vobis, nisi moniti cavetis,
 29 mali pessima comprecor, Poetae !

EPIGRAMMA

M6_24 v.1 Christicolae comitem per iter conjunxit Apellam
 2 sors tam diversa relligione virum.
 3 Incidit in foveam verae pietatis amator
 4 et comitem auxilium suppetiasque rogat.
 5 Sabbata sunt, Judaeus ait, mihi sancta nec isto
 6 Judaeis fas est quicquam agitare die !
 7 Adfuit auxilio cultori Christus et illum
 8 eripuit foveae restituitque viae.
 9 Continuatur iter, cum lux post sabbata surgit,
 10 quae sanctum a Domini nomine nomen habet,
 11 par fortuna illa graviorque oppressit Apellam,
 12 cum gravidi ventris forte levaret onus.
 13 Sella ruit confracta et pronus Apella latrinas
 14 incidit et trepide Christicolam orat opem.
 15 Ille memor foveae, ut tibi sunt tua sabbata sancta
 16 sic mihi sit Domini lux quoque sancta mei,
 17 inquit, et hic tota demersum nocte reliquit
 18 Judaeum, dum lux sancta peracta foret.
 19 Atque ita Judaeus vix stercore tandem emersit
 20 altera post Domini cum foret orta dies.

LIBER SEPTIMVS

AD ANTONIVM MEIERVM

M7_1 v.1 Sex satis aut nimium fuerant tibi forte libelli ;
 2 quid facit ad nugas septimus ille liber ?
 3 Quid faciam, Antoni ? Cupienti fallere tempus,
 4 non res visa alia est aptior esse mihi
 5 dumque aliis seram producit tessera noctem
 6 non erit invidiae Musa jocusve mihi.
 7 Offendant aures aliis, modo taedia nobis
 8 eripiant studii, sit scopus iste mei !

AD MAXIMILIANVM VILAIN

M7_2 v.1 Post tot tumultus, tot scelerum modos
 2 totoque sparsas orbe Tyrannides,
 3 caesos sacerdotes, Deorum
 4 a populo spoliata fana,
 5 commota Virtus mascula, vindices
 6 longa probatos experientia

7 elegit Heroes, Philippi
 8 justitiaeque Dei ministros,
 9 quorum vetustis si titulis domus
 10 splendet parentum, Velleris aurei
 11 accessione quantum honoris
 12 adjiciatur, id una lingua
 13 non explicarit ; non Maro, non gravis
 14 Homerus apto carmine dixerint
 15 frustra laboret vena nostra,
 16 ingenio sterili profecta.
 17 Tanti superbos non proavos ego
 18 hinc inde stantes curribus aureis
 19 existimabo, non notatos
 20 porticibus veteres triumphos,
 21 quanti paratam sanguine gloriam et
 22 virtute nomen : cuique sua decus
 23 virtute decerptum et labore
 24 gratius est potiusque multo
 25 quamvis parentum fama nepotibus
 26 vivos honorum det stimulos, tamen
 27 industriæ suæ est cuique
 28 pulchrior et magis ampla merces :
 29 utrimque, magne o Maximiliane, quem
 30 et longa majorum series vocat
 31 et arduæ Virtutis arcem
 32 per salebras et iniqua saxa,
 33 et parta factis gloria propriis
 34 Regis Philippi dedicat ordini :
 35 adsuesce jam caelum intueri,
 36 parta poli est via, terra sordet.
 37 Quid Ganda tantum, quid nocuit tibi
 38 Regi repugnans ira rebellium ?
 39 Quid carcer ? Aut quid arta claustra ?
 40 Quid populi furor insolentis ?
 41 Ad confluentis litora Lyziae
 42 cum Scalde, Virtus est tua cognita,
 43 vulgi minas dirumque murmur
 44 despicientis ab impiorum
 45 donec Deus te, more novo, manu
 46 eduxit ereptum absque periculo.
 47 O Insulae bis ter beatæ !
 48 Hoc reduce, hoc duce liberatae,
 49 Scotti superbi barbæis opes
 50 jam jam vocabat spe tumida graves,
 51 amplasque dividebat aedes
 52 militis improbitas avari
 53 cuncta occupaturi, dubio procul,
 54 ni liberati jam vigilantia
 55 hic obstitisset et propinquo
 56 exitio eripuisset urbem.
 57 Tibi Deorum templa, tibi domus
 58 privatae et omnis se tibi civitas
 59 debere non negat salutem
 60 cum tenebris caput explicasti.
 61 Ergo Senatus te Patriæ Patrem
 62 inscribet aere et marmore, nec tuum

63 nomen tacebunt concinentes
 64 cum teneris pueri puellis.
 65 Et subsequentes historias legens,
 66 post secla centum, Posteritas tuos
 67 mirabitur graves labores
 68 teque adeo potuisse tantum.
 69 Nunc perge quo te nobilitas rapit,
 70 quo rara Virtus promovet et favor
 71 Regis Philippi deligentis
 72 Concilium Procerum suorum.
 73 Occurret omnis mox tibi civitas
 74 collo gerenti Velleris Aurei
 75 monile dives gratulatrix,
 76 et soboles numerosa et uxor.
 77 Qualemque nati conspicient patrem
 78 honoris auctu conspicuum novi
 79 aetatis accessu sequentur
 80 ad decus et gener et nepotes.
 81 Phrixaea quamvis tam variis ovis
 82 porro sit evincenda laboribus
 83 utcumque patrem consequentur
 84 qua via trita minus frequenter.
 85 Tibi dracones non ope Colchica
 86 ignemque flantes edomiti boves,
 87 virtute sed tua perennis
 88 gloria parta tuo et labore est.
 89 Quisquis parentum nobilis hic fuit
 90 septena cui bis risit adorea
 91 gaudebit haeredem repertum,
 92 nominis esse sui atque laudis,
 93 non Argonautas, non Minyas ego
 94 majore dignos laude putaverim,
 95 ducemve puppis et juventae
 96 Aesonidem, reducemve puppim,
 97 fulvae vehentem divitias ovis
 98 quam te, cui mens in dubiis malis
 99 immota constitit, nec arte
 100 nec vitiis, neque fraude victa ;
 101 o fortis heros, macte animo tibi :
 102 jam victa cedunt invidia et furor
 103 vulgi rebellis altiorque est
 104 mens hominum tibi sancta curis.

AD MAXIMILIANVM VILAIN

M7_3 v.1 Accipe non longo properatum tempore carmen,
 2 grati animi signum, Maximiliane, tamen
 3 quae per te patuit profugo mihi Lommula vati,
 4 exsulibus portus perfugiumque fuit.
 5 Versibus ergo meis si vivent, Lomma, legeris
 6 et Lommae, Domine o Maximiliane, tuae.
 7 Si pereant versus, non est peritura voluntas :
 8 qui quod habet dedit, hunc multa dedisse puto.
 9 At spero vivent, si non praesagia fallant,
 10 exiguo quamvis vena liquore fluat.

11 Meierus certe spem Meucheniusque dederunt,
 12 censores, nugas vivere posse meas.
 13 Si non falluntur, si vero proxima dicunt,
 14 hospitii pretium non leve habere potes.
 15 Vivit enim Virtus Procerum, sed carmine vivit :
 16 Vate carens parvo tempore durat honos.

DE VRBE HYPRA

M7_4 v.1 Si quis inauditos, hospes, mirabere casus,
 2 templaque semirutis late squalentia muris,
 3 eversasque aras Superum et simulacra Deorum
 4 aut corrupta igne aut ferro dissecta nefando,
 5 nobilium excisas arces ac omnia sursum
 6 intra urbem confusa atque extra versa deorsum,
 7 neglectos et agros atque a radice recisis
 8 arboribus circum, nullas messoribus umbras,
 9 arentem dum findit humum Canis, esse relictas,
 10 contra autem immanes tollentia moenia moles
 11 in caelum et passim tormenta minantia muris
 12 aenea, si planis inhumata cadavera campis
 13 aspicias, segetes ubi quondam laeta fovebat
 14 frugiferas Ceres, aut pecudes Pan, desine causam
 15 civibus Hypranis mutatae adscribere formae.
 16 Hyprenses, dum prisca fuit Fortuna statusque,
 17 florebant, fidi que Deo Regique Philippo.
 18 Et quamquam haeretico cessissent Gandaque Brugaeque
 19 Aldenardaque Curtracumque aliaequae furori,
 20 antiqua inconcussi in relligione manebant.
 21 Non tulit invidia, et primum custode remoto
 22 Martino, nostra primus qui praesul in urbe,
 23 moribus atque fide populum instituebat avitis,
 24 errantes revocans et lapsos fulmine linguae
 25 eripiens tenebris veraque in luce reponens,
 26 (Gorduni hunc, ad eos legati munere sancto
 27 concilio functum in Procerum, et de rebus agentem,
 28 publica queis turbata illo Res tempore posset
 29 restitui, nil tale merentem carcere stricto
 30 concludere) lupi pecudes pastore fugato
 31 invadunt rabidi miserisque absumere tentant.
 32 Nondum sancti animo exciderat doctrina magistri
 33 et firma antiquae fidei praecepta tenebant
 34 Plebs Proceresque omnes, magna et gravitate Senatus,
 35 et cum Bruxellis, Regum unde venire solebant
 36 Imperia in reliquas regiones, unde petendum
 37 auxilium fuerat, si toto Belgio acerbus
 38 incideret casus, cessissent cuncta rebelli
 39 Auriaco, frustra isthic refragantibus Hypra.
 40 Qui Legati aderant ; sibi soli urbs nostra relictas est
 41 nec quos consuleret, nec queis se jungeret illo
 42 tempore, nec quo se dubiis conferret habebat
 43 in rebus variansque animi pendebat et anceps.
 44 A quibus auxilium poterat sperare, rapinis
 45 gaudebant Galli, quos ultra has, dissona lingua
 46 reddebat passim exosos ; his, unica si tu

47 auferres priscae fidei decora, omnia quae sint
48 caetera, nec laudare queas nec ferre modeste.
49 Usque adeo vitiis gens tota addicta laborat,
50 ingluvie, ebrietate furens furtisque nefandis.
51 Adde quod et Superum pridem summo illa furore
52 templa ornamentis spoliavit, diruit aras,
53 prisca antiquorum fregit simulacra Deorum.
54 Vidimus haec pridem, manet alta mente repostus
55 antiquus furor, et contemptae explosus ab illa
56 relligionis honos, medios qua Lyzia campos
57 dividit et linguam, non largo flumine, utramque
58 separat, et quamquam restaurata esset ubique
59 relligio et priscis constarent vitibus arae,
60 quis tamen ignorat, vel ab ipso praeside Francos
61 Hannoniae accitos ? Francos quibus omnia, fasque
62 atque nefas, una mos est expendere norma !
63 Regis Alensonius frater fuit ergo receptus,
64 haereticas secum ducens ad bella cohortes
65 confusasque acies Francorum ex faece scelestum.
66 Ille licet fidei ritus simularet avitae.
67 Quis tamen haereticae fautorem admittere causae
68 ausit ? Quis potius vi non excludere tentet ?
69 At fuit Arthesiae, quo te convertere posses,
70 rector, vicina imperio qui castra tenebat
71 oppidaque atque urbes. Odio verum ille furebat
72 Hesperiam in gentem, et quidvis tentare, priusquam
73 Hispanos iterum admittat, murisque receptet
74 velle videbatur. Sed enim Deus aequior urbes
75 Arthesiae aspexit, sed dum irresoluta morantur
76 oppida, tergique versantur, nunc legibus illis
77 audent Hesperio nunc his praescribere Regi
78 Imperii modulos. Tamquamque precaria jura
79 omnia sunt commota, retroque relapsa, nec ordo
80 nec ratio potuit confusis undique rebus
81 adferri. Quid in hoc posset nostra Hypra tumultu ?
82 Quid misera incipiat ? Fugiat quos quosve receptet
83 ex aequo dubitat. Nulli se credere tutum.
84 Notus erat furor atque insanae factio Gandae
85 hanc fugit, huic toto adversatur pectore, totis
86 viribus, ut maneat salva, hinc putat esse cavendum.
87 Et bene fisa igitur muris fossisque profundis,
88 sperabat, Domino se posse favente procellas
89 effugere instantes arasque et templa tueri
90 pestiferamque procul doctrinam excludere muris
91 Calvinii (furor hic alias invaserat urbes)
92 inque patrum veterum sanctis requiescere saeptis.
93 Non temere huc igitur quis Gandae ex moenibus amplae
94 venisset civis, suspectaque lingua notabat
95 saepe etiam immeritos, dum pleno verba palato
96 edita Gandenses produnt. Stationibus ergo
97 firmantur portae, vigilique indagine, si quis
98 advenit externus, quo quid ferat, unde profectus
99 inquirunt primo cives in limine portae.
100 Alternantque vices vigiles, peditumque tribuni
101 officio satagunt, inter quos non ego certe
102 ultimus, aud sedare domi, si se qua levaret

103 seditio aut si quis foris huc irrumpere tentet,
 104 hostis et externos vultus linguamque notare,
 105 suspectosque cavere, ignotis claudere portas.
 106 Dumque ita certatim studioque operisque tuemur
 107 conjunctis urbem, frustra haeresis omnia turbat.
 108 Praetor erat qualem possis optare probatae
 109 sincerus fidei cultor, Regique Philippo
 110 fidus, militiaeque domique insignis et omni
 111 praeclarus virtute genus de stemmate ducens
 112 Ghistellae. Hic vigili collustrans omnia cura
 113 praesidio portas firmabat, moenia noctu
 114 saepe obiens, nil neglectum, nihil esse remissum
 115 hic patiebatur. Nec sancti cura Senatus
 116 inferior. Collapsa locis hic moenia multis
 117 restituit casusque vigil spectabat ad omnes
 118 imperium exercens, plebs jussa capessere gaudet.
 119 Dumque hic ordo fuit dumque haec symphonia in urbe,
 120 nil fuit externo nobis ex hoste timendum.
 121 Forte semel Ganda missi duo munere functi
 122 legati, ut cives tentent, Hembizius atque
 123 Pottelbergius accedunt, portisque propinqui,
 124 moenibus admitti causamque exponere vulgo
 125 optabant foedusque novum proponere plebi,
 126 scilicet ut cives propius se adstringere vellent
 127 Gordunis reliquis injusto foedere junctis,
 128 arma etiam in Regem, si fors ita postulet, ipsum
 129 arripere, Auriaci imprimis defendere causam.
 130 Non admissa fuit talis legatio et extra
 131 moenia substitit et portis exclusa dolebat.
 132 Et quamquam in populo plebis faex mota novarum
 133 rerum esset desiderio et contingere dextram
 134 optaret Legatorum et cognoscere causam
 135 insoliti adventus, ego qui statione tenebam
 136 tum portam, non sum passus, retroque referre
 137 inde pedem subitoque domum properare coegi.
 138 Atque ita legati nostri discedere rebus
 139 infectis, fremere incassum, tum multa minari,
 140 nescio qua ratione tamen dispergere in urbem,
 141 per vulgum et populi faecem, fecere libellos,
 142 queis commune bonum se procurare ferebant.
 143 Plurima confictis ornant mendacia verbis :
 144 Pulchrius esse nihil quam vera pace fruisi
 145 foedere conjungi, Patriam defendere justis
 146 armis : Hispanum procul hinc arcere Tyrannum
 147 nam quid ab Hispanis aliud sperare relictum est
 148 quam caedem, quam perniciem, spolia atque ruinas,
 149 carceris antra, ignes, laqueos gladiosque crucesque ?
 150 Ingluviem fisci super haec rapientis avare
 151 omnia per fas atque nefas ? Si Flandria porro
 152 agnoscens quantum valeat conspiret in unum,
 153 omnia posse procul patriis de finibus illa
 154 averti, modo nos Flandros meminisse velimus
 155 quos, si jungantur, genus insuperabile bello
 156 disjunctos faciles expugnatu. Veluti si
 157 in fascem stringat quis quinquaginta sagittas,
 158 aut quinquaginta aut plures confringere junctas,

159 sit supra humanas vires, sed solve, solutas
160 jam privas binasve omnes diffringere possit
161 septennis puer. Ergo simul conjuret in unum
162 Flandria communesque hostes communibus armis
163 arceat expellatque, focos tueatur et aras.
164 Pulchra quidem vulgo haec et vera oratio visa est
165 plausibilisque, ut nec contectum melle venenum,
166 quis facile agnoscat, si non huic Juppiter igne
167 expurget fibras et sancto numine mentem
168 impleat illustretque oculos, qui inquirere pulchrum
169 detecta possit fraude et cognoscere verum.
170 Sed concepta semel communis opinio vulgo
171 haeret, et ut furca expellas, tamen usque recurret.
172 Sic imbuta semel plebs falso errore, novarum
173 rerum avida, ad quosvis strepitus accommodat aures
174 non ausura tamen quicquam non hiscere, si quid
175 lusissent Proceres, dum prisco more Senatus
176 imperium tenuit vulgique coercuit aestum.
177 Accidit importune, ut quidam missus ab aula,
178 qui regat imperio cives urbemque veniret,
179 insolita et nullis veterum res cognita seclis.
180 Summi praetoris fuerat summa ante potestas
181 qui populum regeret, prisco accedente Senatu.
182 Non temere hic plebi missas laxasset habenas :
183 pars ut in officio maneat Virtutis amore,
184 pars frenis retinenda tamen poenaque timore est.
185 Sed novus hic noster plebi dum frena remittit,
186 omnia subvertit majestatemque Senatus
187 perdidit ; in primis ausus permittere vulgo,
188 eligerent, sibi quos optarent esse tribunos.
189 Atque ita demissis, quorum Respublica salva
190 constiterat studio atque opera, Plebs quos sibi vidit
191 velle indulgere et quidvis permittere, legit.
192 Adde quod innixus Regis diplomate, nullo
193 ordine, et ante diem mutat non rite Senatum
194 substituitque alium. Res certe indigna videtur
195 esse bonis, quam nec possint mutare, sed illud
196 principium fuit atque instantis origo ruinae.
197 Jus populo semel arreptum revocabile non est.
198 Dimissis igitur Ducibus primisque Tribunis
199 quorum jussa capessebat non tarda juvenus,
200 substituens alios, sibi quos plebs inscia veri
201 optasset, quamquam nec relligionis amore
202 insignes, bene nec Regi quos velle Philippo
203 sciret, in extricando involvit cuncta tumultu.
204 Quodque adeo est pejus, confusa haec cuncta reliquit,
205 cum non perpetuum hunc sibi constituisset honorem,
206 namque alio adspirabat, ut hic populariter omne
207 officium fungens, aditum ad majora pararet.
208 Nam quo quisque magis populo tam forte placebat
209 hoc mage communem rem defensare, tueri
210 et patriam atque aras se propugnare putabat.
211 Nec mora, cum Bappalma vetus rectore careret,
212 praesidium vetus, et vicinis proxima Francis
213 Bappalma, huc noster tamquam popularis, et in quo
214 fideret Auriacus, desertis protinus Hypris,

215 sufficitur, qui mox confusam deserit urbem.
 216 Vel non venisset, vel cum fuit ipse receptus,
 217 mansisset, poterat melior Fortuna manente
 218 sperari, sed jam conturbato ordine et omni
 219 libertate data vulgo discedere, nonne est
 220 prodere desertam venturis hostibus urbem ?
 221 Quod magis mirere, Virum ter quinque creavit
 222 Concilium et voluit privata et publica cuncta
 223 hoc auctore geri, jusque et decreta Senatus
 224 tum demum esse rata, haec si Quinque Decemque probassent
 225 hosque odio insignes fertur legisse Philippum
 226 in Regem in speciem paucis quibus utile et aequum
 227 sit cordi, adlectis, ut fuco hoc fallere possit
 228 egregios cives et pectora fida Philippo.
 229 Quosque alibi Octoviros sibi constituere Decemque
 230 Gandaque Bruxellaeque movendis undique rebus,
 231 hos novus hic noster numero brevior coegit,
 232 par similisque licet foret his utrobique potestas.
 233 Sed numero voluit non uno fallere cives :
 234 hi super armorum causis et foedere soli
 235 consultant ; tum si qua veniret epistola ab aula
 236 de rebus magnis, solvunt, absente Senatu ;
 237 observant si se moveant diversa sequentes,
 238 praecipue si quos noverere favere Philippo
 239 aut veteri insignes in relligionis amore,
 240 haereticas fraudes suspectaque dogmata habere.
 241 Atque ita confusis rebus geminoque Senatu
 242 firmato, aut veteri mage sic exauctorato,
 243 noster rector abit turbatam et deserit urbem
 244 empta equidem nostris fruiturus pace ruinis,
 245 et procul ex tuto rabiem dirasque procellas
 246 visurus, quas commovisset in aequora ventis
 247 immissis, quos jam nequeat sedare furentes.
 248 Ergo urbem haeretici tentant invadere fraude,
 249 assumptisque novas quos scibant quaerere turbas.
 250 (Et facile est certis illos cognoscere signis :
 251 Relligio non magna sit ovum tollere molle,
 252 quando Catholicis hoc quadragesima mensis
 253 inferri vetat, et sanctae mysteria Missae
 254 auscultent ne die festo, discrimine parvo
 255 istud habent Veneris vel vesci carne diebus.)
 256 Hoc igitur lectos socios ex ordine jungunt
 257 ante sibi imprimisque virum. Sed nomine parcam,
 258 signa dabo, ut si quis nostra non hospes in urbe
 259 sit, facile agnoscat : curvusque homo, canus et aere
 260 nunc, alieno oppressus, quondam dives et auri
 261 atque agri, solitus litem exercere molestam
 262 cum natis. Princeps hic rem scivisse putatur
 263 sive quod haereticum fovisset pectore dogma,
 264 Sive novarum avidus quod rerum et turbidus esset.
 265 Hoc dubium est, nam cum cuncta in pejora fuissent
 266 mutata atque explosa foret jam prisca parentum
 267 Relligio, quando ire videret cuncta deorsum
 268 et sursum, auferri sacris donaria templis,
 269 furtis omnia compleri passim atque rapinis,
 270 atque ultra vulgi, quam crederet, ire furorem,

271 non quod in his turbis nomen potuisset habere
 272 accepit, neque quas potuisset sumere partes
 273 implevit, retroque pedem cum voce repressit.
 274 Quamvis haeretici audiret mysteria verbi
 275 Stentorea Carolum sceleratum voce boantem,
 276 uxoremque dolo et maculosa fraude carentem
 277 simplicis ingenii ad sermones cogeret eosdem.
 278 Sic navem temere ingressus, cum litora linquens
 279 dissolvit puppim retinentem navita funem,
 280 si ferus incipiat Boreas versare profundum
 281 atque imo in caelum montes provolvere aquarum,
 282 paeniteat frustra desertaque litora spectet,
 283 et quamvis operam invitus praestare putetur,
 284 qua tamen arte potest sentinam exhaurit et undam
 285 egerit in mare remisque incubat et mare verrit.
 286 Sic, hic, quem modo certa tibi per signa notavi,
 287 dum studio plebis partes populariter urget,
 288 nunc vero haereticis explosis atque recepto
 289 Rege, videri ejus vult a parte stetisse,
 290 ridiculus nimis exorsum se reddit utrisque,
 291 aenea scimus enim haud alio tormenta magistro
 292 librata ex muris in Regis castra Philippi.
 293 Vix mihi contineo risum, cum occurrit imago
 294 sese excusantis, seu res ita poscere, seu non
 295 visa, senis. Quaerunt quid agat sapienter amici,
 296 ne sit tonsori, neu lippo fabula ? Dicam
 297 militibus daret hospitium lignumque salemque
 298 ac oleum tacitus. Neu se excusare, nisi intus
 299 conscia mens rodat, nobis populoque laboret,
 300 nam quem fama semel communis pinxerit atrum,
 301 non hunc omnibus adfusus lavere aequora possint
 302 undis. Verum Hyprae repetamus, Musa, ruinam.
 303 Tempus erat quo prima dies mortalibus aegris
 304 incipit, et late stellis aurora fugatis
 305 ardentem ignitis radiis illuminat axem,
 306 cum lux maesta venit, mensis vicesima Juli,
 307 Margari sancta tibi, nostrae exitiabilis urbi
 308 septuagesimus octavus post secula quinque
 309 atque decem a nato Christo quam protulit annus.
 310 Deplorabilior Cannarum luce nefasta,
 311 aut hac, quae numquam redituros fulmine belli
 312 ter centum emisit Fabios. Cum moenia nostra
 313 occupat hostis inobservatus, quos modo dixi
 314 electos urbi non rite fuisse Tribunos
 315 a populo ad lubitum, non qua res ipsa requirit
 316 sollicitudine, despiciunt, quo tempore portae
 317 panduntur, ne fraude hostes invadere possint,
 318 et tum fraude in vicinis sese aedibus hostes
 319 abdiderant taciti extra portas et fuit intus
 320 civis ab adversa corruptus parte rebellis
 321 Auriaci ; hic vigilum partem paulo ante latentis
 322 conscius ipse doli abduxit vinique tabernae.
 323 Non longe successit apertae a limine portae
 324 quo fraudem tegeter vicinia, sed simul hostes
 325 contectis ex insidiis, videre patentes
 326 jam portas, raraque locum statione teneri

327 protinus erumpunt, paucosque ex limine portae
 328 proturbant quemdamque etiam, qui obsistere contra
 329 fortius audebat valvasque obvertere tentat,
 330 obtruncant supraque extincti turba cadaver
 331 irruiet et portas armato milite complet.
 332 O felix anima ! O felix, bis terque beata,
 333 quae patriae egregia morientis morte ruinam
 334 praevenisti ! Ut multa mala atque nefanda, beata,
 335 evasisti ? O me socium si fata dedissent
 336 virtutis fortisque tuae ! Quam sanguine pauco
 337 quam multas lacrimas expunxissem ! Nec enim jam
 338 aspicerem circum vacuos cultoribus agros
 339 templa cremata, Deum simulacra eversa, bonorum
 340 exsilia et mortes atque his majora nefanda
 341 quae tulit illa dies, tibi quae suprema, ruentis
 342 prima fuit Patriae. Nam te custode remoto,
 343 mox alii admissis primis aliique manipuli
 344 succedunt, densaeque urbem implevere cohortes.
 345 Continuo medio pedites equitesque globati
 346 sistunt signa foro ; Capitolia milite complent
 347 quosque eadem obnexos stringebat factio vulgo
 348 prosiliunt cives patriaeque in viscera ferrum
 349 stringunt, seque duces, ne quid linquatur inausum
 350 aut intentatum ultro, praebent. Vi geritur res.
 351 Et proceres civesque, quibus parere solebat
 352 urbs, captiva manus Capitolia ad alta trahuntur,
 353 queis comes adjicior. Populus discurrere, furtis
 354 cuncta implere, novis rebus gaudere, ruinam
 355 urbis non cognoscere jam pereuntis. Ubique
 356 luctus apud cives sapientes et mala quorsum
 357 evadant misere haec dubitantes. Pars quibus aequus
 358 Juppiter adspirat, duro hoc cum tempore abessent
 359 exsilio vertere solum natale. Secutus
 360 hos ego sum ; simul ac dimissus carcere nactus
 361 commoda tempora. Sed rabiem dirumque furorem
 362 et plebis sceleratae insana negotia, non me
 363 dicere posse puto, non si mihi vena Maronis
 364 defluat, ut praestet praetense abscondere velo
 365 caetera, quam inferiora loqui. Tres forte molesto
 366 haec animo cives tulerant, Basilius et acer
 367 Marcus et insignis demissa in pectora barba
 368 Bernhardus, monachus primus, sed dicere causas
 369 non segnis Marcus, quidvis depingere vitro
 370 ultimus egregius, virtutem ex fronte notasses,
 371 ergo animo ingenioque pares et fortibus ausis
 372 conspirant Patriamque tyrannide deploranda
 373 oppressam eripere et priscam instaurare quietem
 374 proponunt. Quod ni succederet omnibus idem
 375 ardor, velle mori et distendere nomen in aevum
 376 egregio fato et quosvis perferre dolores.
 377 Sed, seu nostra statum nobis peccata negarent
 378 antiquum optatamque auferrent crimina pacem,
 379 seu quod difficiles aditus Virtutis et omne
 380 egregium facinus vicina pericula jungunt,
 381 nescio quo indicio, res fit manifesta rebelli
 382 praetori Utenhouio, et hos Virtute fideque

383 in Regem insignis obscuro carcere claudit.
 384 Mox tormenta adhibet, quae non ego scribere possem,
 385 nec credas, si scripta legas, tortoribus ipsis
 386 deficiunt vires, exploratore camino
 387 exquirunt socios. Sed nec vis efferata quicquam
 388 proficit, et quamvis complures undique cives
 389 non fuerit dubium conspiravisse operamque
 390 promississe fidemque, ubi res succederet, illis,
 391 nil tamen extortum est, sed fida silentia servant,
 392 conjurata manus, ne linguae inutilis error
 393 egregios perdat cives melioribus aptos
 394 temporibus. Sed enim istis post tormenta recisae
 395 cervices et morte brevi immortale paratum est
 396 nomen et insignis succrescit gloria facti.
 397 Ut non succedat, tamen est laudanda voluntas
 398 in magnis. Postquam tres hi cecidere rebelles
 399 paulatim exturbant quoscumque favere Philippo
 400 Relligio aut Virtus certo probat argumento.
 401 Mos fuit hosce brevi procul ablegare libello
 402 saepe etiam mulctare gravi aere et saepe latenter,
 403 milite summisso, spoliare aut tollere vitam.
 404 Nulla fuit cladis species, quae tempore ab illo
 405 non urbem irruerit, pestisque famesque plataeas
 406 opplevire cadaveribus, fossaeque patentis
 407 excipiunt omnis sexus, juvenesque senesque
 408 cum pueris, commune sepulchrum, pulvere nullo
 409 injecto, nullis precibus, lustralibus undis
 410 nullis inspersis. Canibus reverentia major,
 411 quos saepe extinctos terra tumulamur, habetur
 412 et licet ira Dei intra urbem saeviret, et extra
 413 millia multa hominum, non multis peste diebus
 414 oppeterent, volucresque inhumata cadavera rostro
 415 diriperent, tamen haec tamquam si lenta fuisset
 416 ira, homines arces flammis excindere passim
 417 nobilium per agros et templa minantia caelo
 418 eruere, ac ipsos manes vexare sepulchris
 419 (et pudet, et quisnam lecturus credet) apertis
 420 marmore de Pario Princeps Robertus habebat
 421 ante aram summam monumentum, qui Comes Hypris
 422 optarat tumulo condi et requiescere corpus.
 423 Et bene (nam castis cineres lustrare quotannis
 424 mos fuerat precibus poenasque optare remissas,
 425 si quae animum Comitum commissa a labe tenerent)
 426 ni malus hic nostram furor invasisset in urbem.
 427 Diripiunt monumentum adapertoque ossa sepulchro
 428 projiciunt cineresque leves sparguntur in auras
 429 post tot et annorum series et secla. Sepultos
 430 ergo etiam ad manes dira haec descendit Erinnyes,
 431 ne toto pars ulla sit haud obnoxia mundo
 432 et nostris exempta malis. Quid creditis ergo
 433 sensisse hunc Comitem, quacumque in parte supremi
 434 Iudicii exspectat tempus? Seu laetus in ipso
 435 degeret Elysio, seu quae peccata pianda
 436 ante animum exercent poenis, ubicumque sit, illum
 437 et sparsum cinerem, et violatum agnoscere bustum
 438 non dubium et talem potuisse emittere vocem:

439 Quid furitis cives ? Quid enim nostra ossa sepulchro
 440 condita commeruere mali ? Si barbarus hostis
 441 Turca Scythesve mea haec instrasset moenia, non me
 442 vexaret cineresque meos requiescere in urna
 443 securos pateretur. Habet reverentia manes
 444 vel penes hirsutosque Getas Parthosque feroces.
 445 Displicet ingenium, quamvis sit mite, Philippi ?
 446 Quae mea culpa isthic ? Mea mi fortuna peracta est.
 447 Non hostes ex hoc tumulto sperare decebat.
 448 Extra urbem egregiis Martem proludit in armis
 449 Parmensis Princeps ; agite hic, si tanta cupido est
 450 bellandi : exercete manus, ille ille paratus
 451 vexatos cineres conturbatumque sepulchrum
 452 ulcisci, nostri generosas sanguinis heres.
 453 Nec mora, fortis Alexander Farnesius Heros
 454 erigit in conspectu urbis castella frequensque
 455 praesidium imponit, quo aditus praecluderet omnes,
 456 ne Ceres inferri possit, nam cingere castris
 457 moenia, tormentisve ferire boantibus altas
 458 impositas muris moles, operamque oleumque
 459 ludere sit. Largis cinguntur moenia fossis
 460 quae nequeant vadari, quamvis aenea muros
 461 late prostrarint tormenta. Rebellibus ergo
 462 conclusis arte, ne quis succurrere possit
 463 aut inferre quibus nequeant superesse negatis
 464 mortales, miseranda fames sic protinus urbem
 465 invasit, reliqua ut spes esset nulla salutis.
 466 Et qui praesidio haerebant a parte Tyranni
 467 Auriaci (quamquam huc jam mors merita exstinxisset)
 468 nec portis exire audent, nec tendere contra
 469 ante licet spoliis vicina, proculque remota
 470 vexarent, imbelles genus placidumque colonos
 471 captivos raperent, per agros impune vagantes.
 472 Sic ferme omnis habet truculentia, et aspra Tyrannis
 473 imbelles vexare solet, si fortior instet,
 474 se latebris condit, contra mussare nec audet.
 475 Unica spes erat a Brugensibus, unde petendum
 476 frumentum butyrumque atque haec, quibus Hypra carebat.
 477 Et semel expertos si qua succurrere possent,
 478 invectoque penu Hyprensens recreare, coire
 479 cum Flandris Scottos pedites, equitesque frequentes
 480 vidimus armatoque impleri milite campos.
 481 Jamque in conspectu turres et moenia habebant,
 482 jam primos ipsis cives ex turribus altis
 483 conspicere et rerum vescarum copia larga
 484 sperari poterat. Late namque omnia carri
 485 implerant, strepitus posses audire rotarum,
 486 hinnitusque equitum, vigili cum Werpius aure
 487 atque oculo explorans motus atque arma rebellis
 488 militis, intentus casus spectabat ad omnes,
 489 praesidium educit sparsosque hinc inde maniplos
 490 castellis variis unum contraxit in agmen.
 491 Nec plura effatus, tantum monet arma rebelles
 492 se sumpsisse Dei contra hostes atque Philippi
 493 induerent animos hoc tanto Principe dignos.
 494 His dictis ruit atque elisi fulminis instar,

495 proterit hostiles magna virtute cohortes.
 496 Sparsaque limosis spectantur funera campis,
 497 audisses fremitusque virum gemitusque cadentum.
 498 Confusi pedites, equites carrique jacebant
 499 excussoque vagi passim rectore jugales
 500 abripiuntur et huc trepide errant et subito illuc.
 501 Atque ita, praecisa spe, quae laetabat inani
 502 subsidii umbra. Hypras insana ferocia tandem
 503 concidit et tota urbs mox colla superba Philippi
 504 submisere jugo. Cives, quae maxima turba est,
 505 exsilium quorum duravit quatuor annos
 506 atque duos, patria primi sunt urbe recepti,
 507 praesidium exierat tamen ante famemque notasses
 508 in vultu. Macies certe, pallorque situsque
 509 non nisi et invitos, et post extrema, rebelles
 510 cedere testantur. Primo se in limine portae
 511 objiciunt cives, si quos juvat ire Philippi
 512 rursus ad imperium, lacrimisque fluentibus, ora
 513 laetitia intingit, nec jam sua gaudia (quamvis
 514 omnia tuta sient) audent sibi credere firma.
 515 Atqui alii quorum studium fuit omnia contra
 516 regem audere atque hunc excludere moenibus istis,
 517 ringuntur, quamvis studeant componere frontem et
 518 laetitiam simulare, tamen cognoscere fraudem
 519 non sit difficile et fictam discernere vocem.
 520 Civibus ergo fuit primum prima urbe receptis
 521 cura Deo laudes cantare hymnosque suaves.
 522 Martini in templo tenebris mox unus et alter
 523 presbyter erepit, quamvis se prodere tutum
 524 vix putet atque oculis vix credat, sed simul aures
 525 erigit et late nomen resonare Philippi
 526 audit et agnoscit profugos vultuque sonoque
 527 egregios cives, totum se solvit in imbrem,
 528 laetitiam nequiens aliter concludere mente
 529 quin oculis large lacrimarum fonte suavi
 530 erumpat ; dulces ultro citroque seruntur
 531 amplexus et inexpectatum agnoscere amicum
 532 hinc juvat atque illinc. Qui debent solvere vota
 533 accelerant, arisve Deum suspendere carmen
 534 aut reditus depicta brevi argumenta tabella.
 535 Jam bis sexta dies ibat ridentis Aprilis
 536 cum redit Hypra sui rursus sub jura Philippi
 537 post tot fanda, nefanda tribus quae pertulit annis,
 538 atque tribus, quae si cupiam comprehendere versu,
 539 in numerum videar stellas comprehendere velle,
 540 se meminisse juvat jamque excessisse malorum
 541 tam varias species. Vere lux aurea, quae nos
 542 eripit exsilio priscaque in sede reponit.
 543 O mihi natali potior lux ! O mihi semper
 544 festa dies ! Ut te reducem celebrare quotannis
 545 carmine, cura mihi sit prima, sit ultima, donec
 546 spiritus hos reget artus, donec lingua palato
 547 formabit vocem, donec manus impigra quod mens
 548 concipit, audebit niveis committere chartis.
 549 Haec prima exsilio reducem me nempe meosque
 550 vidit et Hyprensem securos duxit in urbem

551 postquam sexta solo profugos patriaque focusque
 552 seclusos errare vage conspexit avitis
 553 aestas et rediens toties bruma horrida vidit
 554 frigoribus misere afflictos. Sed vivimus idque
 555 munere, Christe, tuo, salvi Patriaque recepti
 556 accisis quamvis opibus, multisque crematis
 557 aedibus ac villis, tamen est quo vina salemque
 558 mercemur panemque ; est mens quae vivere parce,
 559 si sit opus, possit, rursus quae, si melior sors
 560 adspiret, sit prompta frui. Sit gloria Christo
 561 qui vel ab exilio ad priscos nos ducit honores,
 562 quamquam oneri fasces mihi sint quos deprecor ultro,
 563 privatam ut possim securus ducere vitam
 564 rure suburbano procul a strepituque forensi
 565 atque malo livore et carmine fallere tempus
 566 et curas, si quas animo generare valebit
 567 ferme amissarum vana opploratio rerum.
 568 Sed tu, Christe, Deus Regum qui corda gubernas,
 569 Magne exercituum Deus, hinc averte tubasque
 570 tympanaque et gladios et iniqui proelia Martis.
 571 Tuque exercituum domitor, praeclare Philippe,
 572 nunc vel Mattiacos tam longa aetate rebelles
 573 discordesve inter se aggrediare Batavos,
 574 vel gemina hinc illinc victor, pete classe Britannos.
 575 Debetur titulis, o Rex invicte, Britannus
 576 divisus toto orbe tuis ; age digna Philippo,
 577 arma cape. En volvit placidos ad litora fluctus
 578 Neptunus, vocat aura rates, Rex magne, secunda
 579 perge bonis avibus, votis precibusque sequemur.
 580 Vel si bella manus nostras haec poscere credes
 581 flaventem aerata includemus casside crinem :
 582 nam tibi debetur, quicquid mihi sanguinis intus
 583 restat adhuc, qui me exilio et maerore jacentem
 584 et Patriae reddis laetum et pulcherrima rursus
 585 moenia das habitare Hyprae, quae laeta Philippi
 586 rursus ad imperium priscos adducere mores
 587 gaudet, pro moduloque suo instaurare Deorum
 588 aras atque focus veteres celebrare Penates,
 589 Martinum ante alios, gemino jam numine nomen
 590 conspicuum, nempe atque antiquo Praesule clarum
 591 quem celebrat laete mustoso Gallia festo,
 592 atque novo nostra primus qui Praesul in urbe
 593 exilio in longo periit, post taedia longi
 594 carceris Audomari Fanum tenet ossa ; sed, aut me
 595 decipit ignarum veri cor, aut veniet, qui
 596 cum celebri huc cineres pompa deducat et urnam
 597 ossibus exornet dignam. Mens ardua caelum
 598 quae tenet, interea precibus commendet ovile
 599 Christo. Nam quae cura fuit, dum viveret, Hyprae,
 600 non dubium haec eadem sequitur jam sede receptum
 601 caelesti, ut gemino fidat tuta Hypra patrono.

AD IVSTVM LANSAMVM

M7_5 v.1 Quod, Juste, spretas Pierides diu
2 rursus sequaris, quod sua bellico
3 Marti remittas arma, laudo,
4 gratulor, et quod agis, cohortor
5 agas id ipsum. Calliope tibi
6 praesens favebit, quae penetralia
7 montis biverticis lubenter
8 pandet et egregios recessus
9 fontis latentis, quem nemore in sacro
10 novem Sorores Virgineae colunt
11 vili procul vulgo remotum ;
12 laurigeram loquor Hippocrenem
13 illam biberunt nobilium chorus
14 vatium priorum, Naso, Maro et gravis
15 Flaccus, lyrae decus Latinae, et
16 qui Nemesim canit et Catullus.
17 Hic consecrantur nomina posteris
18 insculpta, non in marmore vel rudi
19 aere aut metallo, quae futuris
20 temporibus labefacta cedant,
21 atqui piorum carmina permanent
22 vatium, nec acres temporis invidi
23 dentes timebunt ; cum sacratis
24 carminibus superent in aevum.
25 Doctae papyri munere vivimus,
26 Lamsame, longum, nec numeris decus
27 partum peribit, queis carentes
28 sub tenebris cohibentur atris.
29 Et tu Gradivi pone trucis minas,
30 Marti releges et galeam et novum
31 thoraca, sed ferro trilicem
32 et clypeum abjicias et hastam
33 quae castra dudum transfuga liqueras
34 intra Minervae, quae ingenii tui
35 vim non labentem conspicata
36 auspicio solito juvabit.
37 Sed macte, Juste o, nec pigeat vetus
38 urgere rursus propositum neque
39 sudare sub castris pudicae
40 Pallados auricomique Phoebi :
41 jurabis hoc ter dulcius et quater
42 quam perfidorum signa rebellia
43 prosternere et Galli superbas
44 proterere intrepide catervas,
45 seu tu Maronis grande opus occupes
46 magni Philippi proelia detonans,
47 alterna seu magis placebunt
48 carmina, queis Elegia gaudet,
49 primos amores dum canis et doces
50 frondosa laeti nunc nemoris loca,
51 nunc animum ripas loquaces
52 Virgineos resonare honores.
53 Te Musa magnis vatibus efferet
54 parem, nec ullo tempore te tuum

55 mutasse, Juste, paenitebit
56 et calamo clypeum et papyro.

AD ANTONIVM MEIERVM

M7_6 v.1 Extorsi tandem tibi carmina, Mejere, misso
2 volumine atque hoc maximo.
3 Quod tamen optabam, ut legeres censorque notares,
4 si quid notandum occurreret
5 excusas. Dolet hoc, sed cum mihi plurima charta
6 incommoda alleges brevi,
7 non tam nostra legi per te non posse, dolemus,
8 quam quod malis tot maximis
9 obrueris, dolet hoc quantum pote maxime, et inde
10 si fata permittant, velim
11 in me derivare aliquam et traducere partem.
12 Certe dolorem sentio,
13 quem sit fas sentire animum atque admittere amici,
14 sed cuncta cum communia
15 ponat amicitiae lex, Mejere, certe ego possum
16 non esse non miserrimus,
17 tum quod amicum incommoda tanta domestica, tanta
18 externa, divexent male,
19 tum quod lima meis castigatissima prorsus
20 sit defutura versibus.
21 Menchenium tamen admitto et quemcumque probabis
22 qui legere nostra non neget
23 quos ego tum demum nostra haec legisse putabo
24 si cum notis quam plurimis
25 huc redeant. Hoc Meuchenium, hoc te Mejere, (si tu
26 vel horulam bonam male
27 perdes censendis nostris) bis terque rogabo.
28 Vobis futuras debitor
29 nominis et famae, si quam sperare licebit
30 apud benignos posteros.
31 Nunc repeto tua, tu consultum juris in ipsa
32 me fronte scribis litterae.
33 Abjicio vanos titulos et honore carentes.
34 Nil juris arrogo mihi
35 quodque alias studium posui huc, fuit illa parentum
36 extorsio, non mens mea
37 iudiciumve meum, Muis mea pectora Muis
38 dicata juri non vacant.
39 His ego Mejerum, Ymmelotum, debeo amicos,
40 olea cui nomen dedit
41 Non inconueniens, ut qui quoque Pallados artes
42 cum consequatur sedulus,
43 non male Palladiae nomen tulit arboris ille.
44 Salvere Mejerum jubet
45 Meucheniumque suos, socius mihi fidus agrique
46 colonus haud instrenuus.
47 Hoc studium Hyprenses exercet, Mejere, cives
48 domi forisque nobiles.
49 Me quoque rideres insuetum talibus, agris
50 fere colendis immori.

EPITAPHIUM IOANNIS EMPELLII

M7_7 v.1 Empellium, si forte quis sit nescias,
 2 (nescire, qui tamen queas
 3 civis juventae civitatis istius
 4 fidum institutorem) quis aut
 5 qualis fuerit, animum applica, paucis dabo.
 6 Vitae senex probissimae
 7 idemque sanctis pectus imbutus sacrae
 8 philosophiae scitis, tulit
 9 hujus modeste temporis molestias.
 10 Summisque gratus et infimis :
 11 sic namque sequebatur viros summos, nihil
 12 ut inviderent infimi,
 13 sic infimorum rursus et plebis gregem
 14 tractabat, ut summi viri
 15 tamquam inquinatum sordibus vulgi, nihil
 16 nostrum hunc abhorrerent tamen.
 17 Ita namque moderabatur aureae sacra
 18 mediocritatis regula
 19 vitae instituta et consilia, domi et foris
 20 comis suavisque omnibus,
 21 peccaret, ut nihil nimis, nihil minus
 22 faciendo quam res posceret.
 23 Idem paratus, si juberent tempora,
 24 horarum homo bonus omnium,
 25 vino abstinere, lacrimas cum flentibus
 26 miscere vel jejunia
 27 servare sacra rite vel convivium,
 28 decens utroque tempore.
 29 Jam si senem per certa signa Empellium
 30 non noveris, nil noveris,
 31 non lumen ipsum solis hoc amabile
 32 quod nos vegetat, alit fovet.
 33 Sed quisquis es bonus favensque qui legis
 34 haec pauca parieti carmina
 35 affixa, cinerem, cum sacris precibus, viri
 36 undis lava lustralibus.
 37 Sic fata cum te, quo voles ut tempore,
 38 ergastulo hoc eduxerint
 39 cum Lazaro, in sinu parentis Abrahae,
 40 laetus quiescat spiritus.

EPITAPHIUM GISLENI BVLTELLII GLYTII PATRIS OPTIMI

M7_8 v.1 Ediderat partu tibi bis sex unica conjux
 2 proles, legitimi foedera casta tori,
 3 bis tres feminei sexus totidemque virilis ;
 4 inter quos primus sum parientis honos.
 5 Invidit numero mors indignata superbo
 6 et tulit ex sexu debiliore duas,
 7 quas Deus Elysiis jussit requiescere campis
 8 et capere aethereis gaudia digna locis.

9 Queis simul ac, tota discussis mente tenebris,
 10 orbis coeperunt innocuisse doli.
 11 Optarunt socios votis precibusque parentes,
 12 quos reliqui in terris malumus esse decem.
 13 Ac ita diu votis contraria vota repugnant,
 14 et precibus certant utraque turba suis.
 15 Plus valere duae, non quod ferventior esset
 16 illis, sed pietas, quam mage justa decem.
 17 Decessit pater et matri concessit habendum
 18 in nos imperii jusque modumque sui.
 19 Ex obitu hoc natis nil proficientia vota,
 20 cum lacrimis matri est cura relicta domus.
 21 Si possent lacrimis redimi tua fata, fuissent,
 22 care parens, lacrimis illa redempta meis :
 23 si queat alterius redimi mors morte, videres
 24 ex natis nullum vivere velle tuis.
 25 Quamque tibi acceptam referunt, tibi reddere vitam
 26 optarent uno protinus ore decem,
 27 teque suum frustra mors importuna vocaret
 28 ex numero hoc donec viveret ullus adhuc.
 29 Teque suum decies, non vero diceret ore
 30 disrumpens vitae stamina Parca tuae,
 31 mendacem decies falsamque novissima proles
 32 diceret, insane praeda suprema necis.
 33 Sed frustra haec sunt vota, nec est mutabile caelum
 34 quodque semel statuit, debet id esse ratum.
 35 Tantum terra levis cinerem tegat atque receptam
 36 exhilarant mentem leniter astra tuam.
 37 Et si quid pietas te nostra aut vota movebunt,
 38 exora uxori tempora longa tuae ;
 39 et quamquam jungi tibi se maestissima poscat,
 40 te moveat proles tam numerosa magis
 41 ut nobis conjuncta, tibi stata justa quotannis
 42 solvat et assiduas offerat ore preces.

EPITAPHIVM YSABELLAE SORORIS

M7_9 v.1 Virgo obiens Ysabella, piae pia matris imago,
 2 fratribus ut luctum desideriumque relinquis
 3 non vulgare tui, sic postquam sede recepta es
 4 aetheris et sponso sociata es sponsa fideli,
 5 praesidium aeternum nobis matrique refulges
 6 tandem nacta tui sperata cubilia sponsi
 7 cujus amore, etiam mortali in corpore, languens,
 8 sprevisti illecebras carnis dulcesque Hymenaeos,
 9 cum tua prae reliquis te forma sororibus unam
 10 innumeris gratamque procis dignamque pararet.
 11 Virginitate potens certa meritisque coronam
 12 accipis aeternis dignam vitaeque peractae.
 13 Sed quid ego admirer primum in te, Ysabella, probemque ?
 14 An teneris te sponte tua quod semper ab annis
 15 duxeris indignam mundo et quam blanda voluptas
 16 luderet ? Id testata habitu cultuque modesto ?
 17 Non tamen hoc vulgo qui sanctae nomina vitae
 18 quaereret, id satis esse rata intus vivere rectum.

19 Sed quamvis primis te forma modesta puellis
 20 aequaret, roseasque genas frontemque venustam
 21 admirarentur juvenes unamque probarent
 22 prae reliquis, non te tamen ipsa proterva juvenus
 23 ausa optare tori sociam uxoremque jugalis,
 24 namque statim primo adspectu se Regia virtus
 25 majestasque oculis objectans, protinus omnem
 26 illicitum ardorem juvenili ex corde fugabant.
 27 Pene solet reliquis mundi queis ludicra sordent,
 28 difficilis vita esse et frons caperata severis
 29 horrescit rugis, inamoeni denique mores,
 30 sic ut sint notis saepe ignotisque molesti.
 31 Sed mores Ysabellae omnes quoscumque ubicumque
 32 sic delectabant certoque tenore juvabant
 33 ut non horrerent duros facilesve putarent
 34 sperandi illicite quicquam praestare protervis
 35 ansam. Quis tristem hanc contracta aut fronte severam
 36 vidit ? Quis potius non ipso ex ore notasset
 37 interius mentem secum constare quietam
 38 perpetuo ? Vitio certe haec vel proxima poena est
 39 sic faciem, ut mentem, turbare, movere tumultum
 40 intus et exterius : dum qui male conscius iram
 41 Numinis exspectat, vel vultu crimina prodit.
 42 Paulus ergo quondam succensus amore fuisse
 43 dicitur et Dominum sic dilexisse, polumque
 44 praecepisse animo sic ut foret ista molesta
 45 vita, optabat enim solvi et convivere Christo,
 46 nostra etiam quoties optavit corpore solvi !
 47 Vivere cum Christo ? Medici si quando salutem
 48 sponderent tantum, primum aegrotare putares,
 49 cui nihil adversi tantum contingere posse
 50 crediderim quam si morbum cessare videret.
 51 Audiit orantem Dominus finemque malorum
 52 constituens animam niveo de corpore puram
 53 eduxit supraque polos interque beatas
 54 Caelicolum statuit turmas sanctasque puellas,
 55 quae cytharam digitis pulsant et carmina dicunt
 56 insolitosque hymnos Agno, quos dicere millae
 57 possint Virginei queis non sit salva pudoris
 58 integritas, illae exosae laetos Hymenaeos,
 59 ut niveum casto servant in corpore pectus,
 60 sic Agnum faciles ierit quocumque sequuntur.

EPIGRAMMA

M7_10 v.1 Cum patria excedens proprios ardere Penates
 2 Regius ex summis collibus aspiceret,
 3 substitit adque Deum conversus mente animoque
 4 adversa invicto pectore damna tulit.
 5 Sic etiam affatus fumantes dicitur ignes :
 6 Urite cum nostra crimina nostra domo.
 7 Regia vox certe et sententia Principe digna :
 8 Rex est qui fluxas spernere possit opes.

EPITAPHIUM FRANGISCI HOUTENEII

M7_11 v.1 Si cui debuerat virtuti parcere Parca
 2 parcere Virtuti debuit illa tuae.
 3 Sed quia mortales fatali lege necesse est
 4 vitae ad praescriptae tempora certa mori,
 5 quod potuit, fecit canis senioque pepercit
 6 et vita est justa continuata mora.
 7 Octuagesimus est annus namque ante peractus
 8 quam tibi sint avida fila resecta manu.
 9 Si bene perpendas, non tot jam luce fruuntur
 10 quot vivo in Stygias praecipitavit aquas.
 11 Te mors dura, igitur canis quae sola pepercit
 12 Parca diu, hoc ipso nomina vera tulit.
 13 Sed tamen affines quibus est tua cognita virtus,
 14 conquerimur vitae de brevitae tuae.

IN PHILIPPVM CVRTIVM

M7_12 v.1 Philippus empturus libros it Curtius.
 2 Dum nundinatur et libros examinat,
 3 placet puella, quam noctem rogat, dedit :
 4 libros reliquit atque fecit liberos.

SYLLOGISMVS

M7_13 v.1 Aut pulchra, aut deformis erit, quae ducitur uxor,
 2 cum poena ista tibi, cum populo illa venit.
 3 Illa vel ista malum est, igitur ducenda nec uxor
 4 alterutro, vacuus si cupis esse malo.

CONTRARIVM

M7_14 v.1 Nec poenae fuerit, si pulchram duxeris, ut nec
 2 deformis si sit, cum populo fuerit.
 3 Est igitur ducenda uxor, quocumque cadat res,
 4 alterutro vacuum cum licet esse malo.

POETAE CONSILIVM

M7_15 v.1 Non equidem uxorem ducenti, sumere pulchram
 2 aut nimium turpem ducere plane opus est.
 3 Est media, est stata forma atque est uxoria, certe
 4 non haec cum poena aut cum populo fuerit.

DE AMORE

M7_16 v.1 Qui variam cupiat naturam discere Amoris,
 2 effectus varios et varia arma Dei,
 3 quid sit Amor, qualisque et quantum denique possit,
 4 haec non multa legat carmina : doctus erit.

5 Gaudia sunt Amor, at sunt gaudia plena doloris ;
 6 est dolor, at plenus laetitia dolor est.
 7 Sic desperat amans, numquam ut sperare recuset,
 8 sed rursus sperat, spe sine, quisquis amat.
 9 Quisque amat elapsos languens reminiscitur annos,
 10 spargit in adversos vota precesque Notos.
 11 Pingit in aequoreis vano conamine formas
 12 undis et Zephyros claudere rete parat.
 13 Nititur incassum Aethiopsis mutare colorem,
 14 proluat hunc mare, non desinet esse niger.
 15 Obtendit fidei speciosum nomen, at ipse
 16 perfidia est plenus, fraudibus atque dolis.
 17 Fraude scatet, sic ut qui plus in Amore fideles
 18 saepe minus valeant obtineantque minus.
 19 Saepe etiam risus fallaci fingitur ore,
 20 est dolor, at vere, qui dolet inde, dolet.
 21 Vulnera pectore habet, nec vulnera sentit amator,
 22 est servus Dominae, qui Dominus fuerat.
 23 Nascitur et moritur vel in una saepius hora,
 24 utque sui similis sit, decet esse levem.
 25 Si quis consilio sano et ratione juvare
 26 promptus amicus erit, janua clausa manet.
 27 Clavem inimicus habet rationis, claudit aperta
 28 pro libito solus, clausa aperitque suo.
 29 Quisquis amat, morbum fingit sub corpore sano,
 30 mentitur : magnos pejerat inde Deos.
 31 Mille mali patitur species, incommoda mille,
 32 ex oculis Dominae ut pendeat usque suae.
 33 Quin amor et cineri subjecta est flamma doloso,
 34 qui placeat jocus est, si sine fraude foret.
 35 Indignatur amans, habet arma, habet otia pacis,
 36 nunc illi indutiae, nunc fera bella placent.
 37 Hei mihi quam longo ducit suspiria tractu,
 38 quam claudit brevibus sensa notis animi ?
 39 Exterius ridet, dolet intus, lumine sicco
 40 languida mens multis obruitur lacrimis.
 41 Tamque placens dolor est, ut amator sponte volensque
 42 langueat et, quae fert, sponte volensque ferat.
 43 Foedera pacis habet non duratura, triumphat
 44 victus victorem : vincula certa manent.
 45 Communis juvenum est error queis saepe catenae
 46 et foeda obscuri carceris antra placent.
 47 Est tamen ut possint devicto audacter amore
 48 libertate frui, sed juga foeda placent.
 49 Nulla quies in amore igitur, fugite ocius illum,
 50 queis grata est animi aut corporis ulla quies.
 51 Ni fugitis, manet aeternum vos cura recusans,
 52 cura sed in sola fixa manens Domina,
 53 quae quoque decipiet, nec respondebit amanti :
 54 Nulla fides fidei, false Cupido, tuae.
 55 Credite mi, juvenes, veterano credere tyro
 56 debet et experti verba notare viri,
 57 naufragus ut Syrtes notas maris atque Charybdes,
 58 sic in amore dolos, quisquis amavit, habet.
 59 Hinc mihi, qui toties falso sum lusus Amore,
 60 qui novi mores ingeniumque tuum,

61 dire Cupido, Noto levius, vehementius undis,
 62 cum Notus et Boreas incubuere mari.
 63 Non male perpendas si singula dicitur Amens,
 64 qui passim vulgi iudicio audit Amans.

SERMO

M7_17 v.1 Non fero et irascor prorsusque ego murmuro, quando
 2 audet et Auriaci fautor tractare rebellis
 3 publica ? Quis ferat hoc ? Ergone impune licebit
 4 urere templa Deum sacrasque evertere sedes
 5 Caelicolum ? Quantumque lubet spolio atque rapina,
 6 ablegatorumque bonis ditere bonorum,
 7 induere arma etiam in patriam Regemque Philippum,
 8 et simul ac bello fuerit confracta rebellis
 9 factio, ad optatos iterum contendere fasces ?
 10 Quis furor hic proceres vos fascinat ? Anne putatis
 11 sincerum esse animum his qui sacra Deumque negarint,
 12 Romanamque fidem et Regem semel abjurarint ?
 13 Vidi et adhuc memini puero me, cum furor ille
 14 tum primum irrueret Flandros, juvenesque senesque
 15 Calvinii injecto sic dementaret ubique
 16 errore, ut Romana fides labefacta ruinam
 17 spectaret, ni Rex providisset duce misso
 18 Albano, qui prisca patrum revocaret ad aras
 19 sacra, rebellantes justis compesceret armis,
 20 confessos tamen et reduces sub jura Philippi,
 21 exciperet placide juratos vivere priscae
 22 sub fidei antiqua et semper requiescere norma.
 23 Vidi ego tum plures tunicas invertere, priscos
 24 abjicere errores, Divum se advolvere signis,
 25 vota aris sanctisque tholis suspendere primos
 26 ut possis animum vere mutasse putare,
 27 qui tamen Auriaco ut Fortuna secunda rebelli
 28 visa favere fuit, scelerei accessere priori,
 29 ut canis ad vomitum, his rursus, quo provocat aura,
 30 aura secunda sequutis, publica munera mandes ?
 31 Ah ! nescis ! fiat quanto hoc plerumque periculo
 32 si lupo aut animum aut pellem mutare priorem
 33 lynx potis, haereticis poterit mutare rebelles,
 34 quos semel imbibit, affectus. Ne fidito quod si
 35 videris in templis lustrali adspergere vultum
 36 flumine, si impressa Cruce frontem pingere, fingunt
 37 omnia, sacramenta illis, confessio, Christi
 38 est caro sancta joco. Nolito fidere, non si
 39 testentur parochi recte illos credere, namque
 40 his facile imponunt simulantes omnia quovis
 41 flexibiles, pro reque locoque et tempore. Si cras
 42 praevaleant Angli, rejecto rege Philippo
 43 Romanaque fide, prisco indulgere furori
 44 aspicias iterum veterique favere Tyranno.
 45 Adde quod urantur cives queis conscia recte
 46 pectora, qui coluere fidem, exilioque paternas
 47 relligionis amore domos vertere, Philippo
 48 atque Deo fidi, quando discrimine nullo

49 improbus atque probus, simili sed pondere habentur.
 50 Novi etiam quemdam qui sic mihi questus in aurem est.
 51 Ergone nos reduces istud sperare decebat,
 52 post tot et exilii languentia taedia, post tot
 53 errores tristesque hyemes, ut quem modo vidi
 54 praeconem haeretici verbi indignumque ministrum
 55 excipere hospitio et proprio deducere curru,
 56 nunc videam adlectum numero complere Senatum ?
 57 Quod profugis igitur pretium est quae munera dantur
 58 exulibus ? Liceatne igitur spoliare Deorum
 59 templa ? Fidem antiquam peregrino sacraque ritu
 60 polluere ? Et muris altis excludere regem ?
 61 Et post haec iterum immeritos invadere honores.
 62 Quodnam igitur discrimen erit scelus inter et inter
 63 virtutem ? Si non istam sua praemia, si non
 64 poena scelus sequitur ? Si contra praemia dantur
 65 injustis meritoque boni fraudantur honore,
 66 quis ferat ? Aut quis non fremat ? Indignetur ? Et ultra
 67 Sauromatas fugiat, ne coram cernere possit ?
 68 Nunc et mechanicus, nunc sedentarius audet
 69 proh pudor ! o mores ! sellas sperare curules.
 70 Vidi ego sublata promptum perjuriam dextra
 71 dicere, consuetum miserum vexare popellum
 72 frumenti immenso pretio, quod crescere porro
 73 cum fame fecerat et lacrimis, cum veste sedere
 74 talari maestisque reis oculoque minari
 75 et voce. O priscos si posset reddere patres
 76 terra patens, quonam ore istum, qua fronte putatis
 77 aspicerent cives terrentem voce severa
 78 Cyclopa ? Eriperent trabeam, lentoque flagello
 79 conscissum exigent, clamarent : Perfide, non te
 80 post usurarum compendia turpia, cives
 81 condemnare pudet ? Nam quod tu crimen in illis
 82 accuses, quod non vel turpius haereat in te ?
 83 Haereticus furor Hyprensem deceperat urbem
 84 fraude et sacrilego concusserat omnia bello.
 85 Hostis habet muros victaque triumphat in urbe.
 86 Continuo quicumque Deo Regique Philippo
 87 Relligionis amore favent, excedere sponte
 88 aspicere et, patria expulsos, errare per agros
 89 exsilio, frigusque pati multosque labores
 90 possis, sed pars clausa domi sub carcere caeco
 91 luget et injusti metuens edicta Tyranni
 92 triste jugum falsa sub libertate capessit.
 93 Sed quibus est facile in quasvis se vertere formas,
 94 Mores mutare, ut vel Protea vincere, possent
 95 Relligionem ipsam pro re tractare, locoque
 96 Calvinus superet, Calvinum dogma sequentur,
 97 occupet hanc urbem, pulsoque priore, Lutherus
 98 imperet, accedent ad stulti signa Lutheri :
 99 rursus Catholici Romanae sacra fidesque
 100 praevaleant ? Papam Missasque Crucesque sonabunt,
 101 atque alium atque alium sument pro tempore vultum.
 102 Hi simul Hyprarum Gandae invasere superbae
 103 cives moenia fraude, fidemque operamque fidelem
 104 promittunt, pars frumento annonaeque parandae

105 praeficitur, nitro pars urbem et sulphure complet.
106 Pars etiam armorum coemunt genus omne, vel hostem
107 quo ferias aut quo propulses spicula ab hoste
108 immissa et magna cum sedulitate tuentur
109 partes quisque suas. Ego in his quoque dicere possem
110 quemdam, cujus adhuc exstant (scio) multa rebelles
111 ad proceres Ypris fungentes scripta Senatus
112 munere, queis frustra mandabat moenia tolli
113 in caelum, frustra magnas consurgere moles,
114 tormenta ex muris librari bellica frustra,
115 utres sulphureo compleri pulvere frustra
116 si neglecta annona foret, frumenta pararent
117 undique et annonam curarent, carnibus amplas
118 implerent cuppas salsis vinoque monebat,
119 praesidium firmum si vellent, Rege Philippo
120 excluso : hunc talem vidi jam, Rege recepto,
121 in numerum adlectum nulla ratione Senatus,
122 immo militibus, junctum illi, quem modo dixi,
123 Cyclopi, hospitium nostra praescribere in urbe
124 atque adeo evectum huc, non claro sanguine, non his
125 artibus, humanum quae conciliare favorem
126 ignotisque novisque queant : in sordibus omnis
127 vita peracta fuit ! Solitus transcribere merces
128 exiguo pretio, nunc huic, nunc sedulus illi
129 inservire, forique statum variantis et aeris
130 significare, aliqua at vili mercede, nec ipse
131 Mercator, sed qui mercatori usque locaret
132 venales operas. Hunc urbi dicere jura ?
133 Hunc cives damnare aliquos ? Hunc voce minari ?
134 Sed simul ac Regi cessit Dunquerque venit
135 Mattiacos linquens tandem Hollandosque Caletum.
136 Praeclarum vero facinus meritoque notandum,
137 si desperatas linquat quis denique partes
138 victoresque Dei nutuque hominumque sequatur.
139 Venit, at o utinam numquam hic similesque sueti
140 temporibus servire locoque et fingere mores
141 venissent, certe non esset, si varians Sors
142 haereticis iterum mutata fronte faveret
143 unde boni justique viri civesque timerent.
144 Sed quocumque modo tandem venisse fatemur
145 at certe Arthesiam Regi adversarius ire
146 ipse vetabatur. Prima fuit ergo Caleti
147 haerendum, atque subornandi qui a Rege diploma
148 vel prece vel pretio impetrarent. Inde reversus,
149 civibus est ausus sese ostentare togatum,
150 dicere jura, quibus si quisquam anquirere in ipsum
151 non incorruptus iudex sanctusque laboret,
152 non facile evadat crimenque notamque rebellis,
153 qui semel adversus steterit Regemque Philippum
154 abjuraverit. O mores ! o tempora ! Sanctas
155 hunc ferre aut flecti hoc potius sub iudice leges ?
156 Audite, o proceres, quibus est mutare Senatum
157 injunctum electosque isthic renovare Scabios :
158 eligite innocuos foeda ambitione carentes,
159 et sicunde aderunt vobis munuscula, si quis
160 quem commendabit vobis impensius, illum

161 suspicite, et certum vobis prognosticon esto :
 162 hoc ubi erit, non esse loco dignumque curuli
 163 sede, magistratum qui passim turpiter ambit.

AD IOANNEM DE HALEWIJN

M7_18 v.1 Tristi quid potius Noto
 2 divexante gravi flamine fraxinos,
 3 Halwini, faciam ? Nives
 4 aggestae lacerant brachia quercuum ;
 5 emissisque Aquilonibus
 6 acris saevit hiems frigore et imbribus ;
 7 tectis horrida stiria
 8 dependet. Pluvio quid potius die,
 9 Halwini, faciam ? Foco
 10 large insterne, puer, ligna, merum cado
 11 depromas, veteri cado,
 12 quem Canaria dimisit ab insulis,
 13 quas Fortuna favens beat,
 14 fumosamque foco diripe protinus
 15 pernam, frigoribus sapit
 16 perna et vina placent mascula. Nec graves
 17 curas aut animum anxium
 18 dissolvas melius quam veteri mero.
 19 Atqui ut vina placent mihi
 20 non vulgaria, sic non cupiam dapes
 21 raras, perna satis mihi
 22 cui farcimina quis si velit addere
 23 nil his ulterius petam.
 24 Tantum sint socii, quos veteres mihi
 25 junxerunt Grudii, Hazius,
 26 Snecus, Vlaminus, quosve sacrae mihi
 27 addixere Aganippides,
 28 Cordus, Mejerius, Meuchenius, Canis,
 29 aut Lernutius impiger,
 30 aut quicumque alii sollicitudines
 31 audent post cyathos levi
 32 propulsare lyra et carminibus sacris
 33 securi quibus imperent
 34 reges, quos creperae concutiant tubae.
 35 Non hos terrificet mare,
 36 ne merces Cyprias fluctibus obruat.
 37 Non, ut saeviat Africus,
 38 ad turpes timidi confugient preces :
 39 si quae cura animum coquit,
 40 haec sit quam Dominae progenerat rigor.
 41 Illam, cum neque tigrides
 42 saevo nutrierint lacte nec asperis
 43 ursae in montibus, anne spes
 44 sit flecti hanc precibus posse frequentibus ?
 45 Si qua est asperior tamen,
 46 quae nec carminibus nec precibus queat
 47 flecti, hujus subito potens
 48 curam ex pectore vis diluerit meri.
 49 Sed conjux mea me tenet

50 adsuetum gracili vivere sub jugo,
 51 quae tam dulciter imperat,
 52 libertate magis servitium ut mihi
 53 illius placeat, neque
 54 commutare velim ditis Iberiae
 55 adsuetum imperio jugum.
 56 Sic dulces pluviae, sic hyemes placent
 57 haec si arriserit aut favet,
 58 ipsis ex nivibus prosilient rosae,
 59 haec cum sub lare parvulo
 60 nobis juncta oculis dulce micantibus
 61 agrestem exhilarat domum,
 62 non soles alios, non alios petam
 63 flores, illius in labris
 64 insevit violas purpureas Venus.

EPITAPHIVM PRINCIPIS AVRIACI

M7_19 v.1 Hic situs Auriacus cui ferrum et flamma placebant
 2 et furta ille hominum spreto et ille Deum.
 3 Haereticusque idem perjurusque atque Tyrannus,
 4 Sacrilegus pestisque orbis, et interitus
 5 monstrum naturae ac Erebi fax : ira Deorum
 6 debuerat corvos pascere et ille lupos.

ALIVD EPITAPHIVM AVRIACI

M7_20 v.1 Hic fraus atque dolus, pestis jacet atque Tyrannis,
 2 perfidia atque scelus, pernicies patriae,
 3 incestusque et adulterium, perjuriam, crimen,
 4 proluvies vitii, turpis avarities :
 5 hic jacet Autolycus, Verres, Catelina, Cethegus,
 6 et Nero. Dic brevius : Hic jacet Auriacus.

EPTTAPHIVM BALTHAZARIS GIRARDI

M7_21 v.1 Girardus jacet hic, qui invicta mente Tyrannum
 2 trajecit triplici glande deditque neci.
 3 Atque uno hoc ictu Belgis patriaeque salutis
 ALIVD EPITAPHIVM BALTHAZARIS
 4 atque animae ipse suae stravit ad astra viam.

M7_22 v.1 Dormit et hoc vigilat magnus tumulo ille Girardus
 2 nec victus vivens nec fuit hic moriens.

EPITAPHIVM AVRIACI ET BALTHAZARIS

M7_23 v.1 Ut lector mirere jacent duo corpora vita
 2 functa, illud primae nobilitatis erat.
 3 Auriaci Princeps hic longo stemmate Reges
 4 nec non Caesarios enumerabat avos.
 5 Girardi istud erat, quem Sequana terra creavit,

6 Non etiam claris nobilitavit avis.
 7 Dignus erat Princeps figi in cruce, nempe Tyrannus,
 8 exlex, infamis faxque suae patriae,
 9 hic patriam oppressam asservit caesoque Tyranno
 10 aeterna invenit nomina morte brevi ?
 11 Quid scelus et virtus distant ? Nos Principis ossa
 12 vellemus ravis esse vorata lupis.
 13 Sed quae viventi nequii donare Philippus
 14 si qua fides vero est, digna dabit cineri
 15 munera vel tarde sua Mausolaea Girardo
 16 structuries Delphis Auriacoque crucem.

EPITAPHIVM AVRIAGI ET BALTHAZARIS

M7_24 v.1 Occubuere duo Auriacus morte atque Girardus.
 2 Orbis pernicies ille, sed iste salus.
 3 Spiritus aeriam est hujus suspectus in arcem,
 4 illius in Stygias praecipitatus aquas.
 5 Corporibus Delphi illius statuere sepulchrum,
 6 paverunt volucres istius atque feras.
 7 Sed victis Delphis succedet furca sepulchro
 8 ossaque Girardi digna tropaea manent.

DE GIRARDO

M7_25 v.1 Audiit ut certo dirum cecidisse Tyrannum
 2 vulnera nec falsa vana fuisse manu,
 3 alter Anaxarchus, praeclara voce, Girardus
 4 tortores fertur sic monuisse suos :
 5 Urite, pungite, vellite, scindite, spargite truncum,
 6 namque in Girardum nil licet ulterius.

DE GIRARDO

M7_26 v.1 Cum candente manus ferro laceraret utrasque
 2 tortor et horrorem poena alii incuteret,
 3 non lacrimas gemitumve dedit faciemve retorsit
 4 prorsus, ut alterius si placide inspiceret
 5 supplicium. Follem tantum truncumque Girardi,
 6 vexatis mentem non premit iste dolor.

DE GIRARDO

M7_27 v.1 Mutius exussit fallentem Scaevola dextram :
 2 parcite huic flammae, quod petiit, feriit.

AD LOYSAM VXOREM

M7_28 v.1 Seu rides, mea, seu sollicite ingemis,
 2 seu curas animo concoquis anxias,
 3 seu laetare Loysa,

4 flos aevi brevis avolat,
 5 et cum lapsa semel praeteriit dies,
 6 illam, seu facili prolueris mero,
 7 seu tristi mage fletu,
 8 umbra et nox gravis incubant.
 9 Quod si vita tibi puriter acta sit,
 10 mercedem tuleris. Nil vetat interim
 11 dulces inter amicos
 12 vitam ducere suaviter.
 13 Absint praecipue luxus et omnium
 14 spumans ebrietas, maxima criminum
 15 causa et fons : epulae sint
 16 conditae salibus, jocis
 17 sed castis ; Veneris foeda protervia
 18 absit sed Domini commemoratio
 19 adsit, principioque
 20 mensae laus sua personet
 21 Christo et fine. Sitim dulcia pocula,
 22 commendare famem fercula maxime
 23 optarim, procul autem
 24 curas esse suaserim,
 25 absentumque velim gesta silentio
 26 involvi aut nisi cum laude rapi in diem :
 27 mens segura quiesque
 28 juges sunt epulae mihi.

AD FRANCISCVM LANAEVM

M7_29 v.1 Quid o moraris prodere publice,
 2 Francisce, quae tu scripta premis domi ?
 3 Quid tergiversaris ? Talentum
 4 prome cito nec humi reconde,
 5 nam quinque (si non plura receperis
 6 talenta) magni Regis habes minas.
 7 Negotiare, fac ut aequent
 8 altera quinque talenta sortem.
 9 Fecunda docti copia pectoris
 10 quocumque ducat seu ratio potens
 11 seu casus incidens, abyssos
 12 ingenii explicat affluenter :
 13 nam seu remotas historias lubet
 14 longo obsoletas eruere ex situ,
 15 quas non latebras et tenebras
 16 discutis exoriente sole,
 17 sive incidenter te medicas doses
 18 tractare cogat materies, nihil
 19 desideret Galenus hic aut
 20 Hippocrates Podaleiriusve,
 21 mysteriorum seu potius juvet
 22 arcana Christi vel Fidei sacrae
 23 inquirere errorumque labes
 24 haereticas agitare scriptis,
 25 excellis unus, singula prosequens,
 26 haec sola tamquam sint propria area,
 27 in qua laboraris, tuumque

28 ingenium et studium occuparis.
 29 Varro Latinis omnibus omnium
 30 Antiquitatum doctior omnia
 31 scivisse solus et capacis
 32 scriniolo tenuisse cordis
 33 olim putatur, te nihilo minus
 34 legisse credo, sed superas eo
 35 quod Veritatis expedita
 36 lux tenebras tibi pellit atras.
 37 Vel hoc volumen quam varios habet
 38 internitentes undique flosculos ?
 39 Non tot legit virente Maio
 40serta parans capiti puella
 41 sed ista sint praeludia, nam latent
 42 praeclariora his multa domi tuae,
 43 quae proferes, Lanaee, in auras
 44 si favet aura benigna doctis.

IN NEFARIAM CAEDEM

M7_30 v.1 Quo me furoris plenum agitis novi
 2 Musae insolentes ? Non capio ipse me,
 3 mens intus ebullit, sed audax
 4 lingua animi haud potis explicare
 5 sensus latentis. O mihi si Maro
 6 immigret isthuc, aut lyricis potens
 7 Horatius, qui rebus aequet
 8 carmina fulmineoque versu
 9 depingat iram et perfidiam Jovis,
 10 sed Gallicani, qui scelere obligans
 11 caput nefando, praeter aequum
 12 sanguine humum imbuit immerenti,
 13 atqui sacramento modo sanxerat
 14 foedus perenne et quo mage falleret
 15 mysteriis Missae peractis.
 16 Cum Duce Guisiaco atque fratre
 17 communicavit corporis hostiam
 18 Nostri Redemptoris, veluti vetus
 19 mos Christianis, sed nec illum
 20 hostia sancta Deive corpus
 21 a constitutis continuit dolis,
 22 rubensque Christi sanguine labra adhuc,
 23 cruore Cardinalis atque
 24 Guisiaci Ducis arma tinxit,
 25 nihil moratus vel sacra mystica
 26 Christive corpus, quod modo sumpserat
 27 communione Christiana,
 28 vincula vel fidei sacratae,
 29 ut suspicari quis merito queat
 30 quae sacra sumpsit, non sacra sed jocos
 31 putasse Regem, aut si putavit
 32 sacra Deum prius abdicasse,
 33 aut advocasse hunc (dicere quod pudet)
 34 testem futurum perfidiae suae.
 35 Dum parricidiale crimen

36 mente agitat geminosque fratres,
 37 et Cardinalem et Guisiacum Ducem,
 38 neci daturus, praesidio suo
 39 conscindere utriusque corpus
 40 imperat Helvetia securi.
 41 Dirus satelles paret et ante os
 42 regis bipenni trajiciens Ducem
 43 Ducisque fratrem, contrementi
 44 turpe manu facinus peregit.
 45 Inspectat autem Rex, oculos virum
 46 cruore pascens, at morientia
 47 ultoris invocasse dextram
 48 ora ferunt Domini Deorum.
 49 O perfidorum qui premis impetus
 50 et qui scelestum comminuis minas,
 51 exsurge, vindex innocentum,
 52 interitum atque necem virorum
 53 ulciscere ! Fas ! O scelus ! O nefas !
 54 Ergone merces haec datur unica
 55 domi forisque de focusque
 56 promeritis bene deque sacris ?
 57 Fusi cruoris proluvie obrutus,
 58 Dux Guisianus quam misere jacet,
 59 jussu Tyranni ? Hic ille cujus
 60 et Patris auxilio et parentum,
 61 Henriche, debes quod diademate
 62 caput superbum cingis et imperas
 63 Gallis, hic ille qui fidelem
 64 regno operam patriaeque suetus
 65 praestare Princeps. Surgite, aruspices,
 66 et qui latentes ingenio gravi
 67 causas notatis, explicate
 68 quod genus hoc sit, adeste monstri.
 69 Natura fetus non sibi dispares
 70 fundit ; leones non generant capram,
 71 non ex lupo videbis agnum,
 72 non timidum leporem ex dracone.
 73 Henricus Henricum edidit impium
 74 pius secundus nomine tertium,
 75 quem Galliae pestem fuisse
 76 larva semel perhibet doloso
 77 detracta vultu : cum pater interim
 78 servasse sancte foedera dicitur
 79 totoque deturbasse regno
 80 haereticos scelerumque pestes,
 81 fortuna vero hunc invida Galliae
 82 tantum videndum a pace dedit virum
 83 raptura mox. Brevemque vitam
 84 principibus mala Parca sanctis
 85 orditur et mors optima destruit
 86 primum, nec audit vel populi preces
 87 vel publicae Rei salutem
 88 spectat : ita ante diem repente
 89 Henricus ipsa in pace cadit domi
 90 inter suorum gaudia, ludicrum
 91 dum Martis incaute duellum

92 tentat ut hoc geminas in orbe
 93 pestes relinquens, perfidiae locum
 94 daret ruinisque atque Tyrannidi,
 95 quarum minor poenas Tonanti
 96 quas meruit, sine fraude, solvit.
 97 Post Belgicorum dira tumultuum
 98 exempla, major cum patriae suae
 99 quaerat ruinam, nec sacrato
 100 sanguine commaculare dextram
 101 nefas putarit, non equidem puto
 102 fallat potentis fraude manum Dei
 103 quamvis vel ad tempus furorem
 104 dissimulantis et abstinentis,
 105 igni trisulci fulminis acrior
 106 dilata cum sit flamma, ferit caput
 107 poenasque tardatas moraque
 108 supplicii gravitate pensat.
 109 Sed quod monebam, surgite, aruspices,
 110 concurrite, omnes dicite quid novi
 111 monstri sit istud, quod probati
 112 tam mala sit soboles parentis.
 113 An hoc, quod aiunt, esse putem, viros
 114 heroas in mundum edere filios
 115 noxas ? An hac punire Francos
 116 Dii Superi statuere peste ?
 117 Averte cladem hanc, Optime Juppiter,
 118 averte nostro, Maxime, Belgio.
 119 Hic pax triumphet, jusque et aequum
 120 Relligioque vetusta patrum.
 121 Belgis Philippos incolumes diu,
 122 Orbis monarchas Americi et Peru,
 123 natumque conserva patremque,
 124 Hesperiae et fidei columnas
 125 si forte vires Gallus et haeresum
 126 fautor Britannus foedere junxerint,
 127 hic classe formidandus, ille
 128 militia melior pedestri,
 129 ad opprimendam Catholicam fidem.
 130 Dissolve, magne exercituum Deus,
 131 vires coactas, fluctibusque
 132 obrue fulminibusque classes.
 133 Nec terra vero tutior hostibus
 134 sit Panicus quos hic quatiat timor,
 135 agnoscat ut tandem orbis unum
 136 esse solique Deum salique.
 137 Henricus at Valesius interim
 138 qui caede gaudet nobilium virum,
 139 manus sacro tingens cruore,
 140 quas meruit Deus, oro, poenas
 141 solvat : quietem non habeat domi
 142 sed vermis intus conscia pectora
 143 corrodat ultricesque manes
 144 assiduo miserum sequantur.
 145 Quaeque ora multo servat aromate
 146 condita saevos queis oculos domi
 147 pascens fruatur, viva in ipsum

148 concilient furias Tyrannum.

AD MVSAS

M7_31 v.1 Hactenus, o Musae, faciles habuisse sub antro
 2 vos fuerit mihi fas et cecinisse modis
 3 nunc lyricis tenerae crines faciemque Loysae,
 4 Bacchi nunc Elegis orgia Thyrsigeri.
 5 Portus adest, ventis agitatam adpellite cymbam,
 6 colligite adpulsae et vela plicata ratis,
 7 aspiciate en toto surgentes aequora fluctus,
 8 audite ut raucum litora curva sonent,
 9 vos fidum tuta portum statione tenetis
 10 et iuuet ulterius credere vela Notis !
 11 Quae semel evasit navis temeraria fluctus
 12 aequoris, atque tuos, aspera Scylla, canes,
 13 non facile intrabit turbatas, si sapit, undas !
 14 Si tamen intrabit dispereatque mari,
 15 certe dicetur merito periisse, vel ausus
 16 iuste inconsulti damna tulisse sui.
 17 Nostra mare incertum tumidumque experta carina
 18 praeter spem portu salva recepta latet.
 19 Mens meminisse horret rectique in vertice crines
 20 surgunt cum repeto caeca pericla maris.
 21 Et tamen evasisse iuvat, iuvat isse per altum,
 22 cum mea stet tutis cymbula litoribus.
 23 Jam iuvat optata placide requiesce sub umbra
 24 et tacitam ad salices deposuisse lyram.
 25 Ante diem ut nigris juvenem Parca implicet umbris
 26 insuetam et cogat mortis inire viam,
 27 non tamen emoriar totus condarve sepulchro
 28 parsque avidos fugiet quantulacumque rogos,
 29 quantulacumque rogos fugiet pars optima nostri,
 30 et vixisse sciet posteritas Clytium.
 31 In cineres corpus resolutum contegat urna,
 32 non tamen haec eadem nomina nostra teget :
 33 Vivemus, Musae, vobiscum, vos mihi sertis
 34 cingite honoratum, turba pudica, caput,
 35 aut myrto aut viridi praetexite tempora lauru,
 36 o Musae, o animo numina grata meo.

AD PHILIPPVM DE KETHVLLI

M7_32 v.1 Cum mente formam concipio Deae
 2 ejus Dianam quae superat Deam
 3 vultu, modestia, lepore,
 4 spes animo melior refulget.
 5 Fortuna quamvis invida amoribus
 6 castis, eodem dissoluit modo
 7 nexus fideles et suavi
 8 me Dominae spoliavit usu.
 9 Cum noctis umbras, atque dies iubar
 10 mecum recordor tum tenebras sacris
 11 cecidisse ocellis atque eosdem

12 commemini extimuisse Phoebum.
 13 Absentis ergo me excruciat mora,
 14 genaque fletu perpetuo madent,
 15 suspiriis pectus acerbis
 16 et gemitu assiduo resultat,
 17 et, quod dolores exacuit magis,
 18 noti et parentes diffugiunt procul
 19 mussantque ridentque atque nostro
 20 pascere se haud dubitant dolore.
 21 Tu vita vitae et pars potior meae,
 22 ne cede tantis opprobrio et malis,
 23 fortisque contra tende, nec me
 24 mors adeo ipsa ab amore solvat ;
 25 constantis et tu fer Fidei decus
 26 magnumque rebus nomen in asperis.
 27 [LACUNE]
 28 [LACUNE] ...finis carminis deficit



VRBS HYPRA